



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam
ad majorem omnium in Ascensi proficere cupientium utilitatem ac
subsidium

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1685

Pars IV. De Doctrinis ad adjumenta Perfectionis Spectantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

P A R S I V.

DE DOCTRINIS AD ADIUMENTA PERFECTIONIS SPECTANTIBUS.

Varia sunt adjumenta Perfectionis ; nam aliqua cooperantur ad eandem , dum gratiam vel conferunt (ut Spiritus Sanctus , Christus , Evcharistia , Sacrificium Missæ , Confessio ,) vel impetrant (ut Passio Christi , Fervor , Pœnitentia , Lacrymæ) alia remouent impedimenta perfectionis (ut Religiosus Status , Vota , Abnegatio sui , Cognitio sui , Minimorum cura , Examen Conscientiæ) alia denique excitant ad perfectionis studium (ut Verbum DEI Gratia , Consilium , Temporis pretium , & similia , de quibus proin omnibus , quid Ascetæ sciendum , hac in parte ostendetur.

C A P U T I.

DE ADIUMENTIS GRATIAM CONFERENTIBVS.

§. I.

De Spiritu Sancto.

I. Est tertia Persona in SS. Trinitate ; quæ nomen hoc accepit , eò quòd inspirando ad sanctitatem impellat , trahendo voluntatem amantis in amatum , quod amoris , ex quo Spiritus Sanctus procedit , proprium est munus. Porro quinque præcipuè de eo sunt scienda.

Q3

II.

II. Primum est, ut bene cognoscat naturam processionem ejusdem, quodd scilicet sit verè idem Pater & Filius DEUS, ab utroque tamen procedens nam dum Pater seipsum & suam essentiam comprehendens, producit vivum conceptum & perfectam imaginem sui, quasi in speculo suæ essentiae se contemplans, & hæc imago Filius est, ejusdemque Pater substantiæ, diciturque Verbum DEI: quod Filius dum Pater amat amore infinito, quia bonitas infinita eadem, & infinitæ perfectiones in ipso & ob eandem causam etiam à Filio vicissim amore infinito amatur, procedit ab utroque tanquam ab principio amor infinitus, qui est ipse Spiritus Sanctus. Unde rectè Theologi triplicem amorem in DEO signant, *essentialem* & absolutum, qui est omnium Personis communis. ; *notionalem producentem*, & *notionalem productum*, quo modo Spiritui sancto appropriatur. Unde meritò colligitur, Spiritum sanctum esse tertiam & distinctam Personam, quod difficultè probari posset, si non etiam à Filio procederet. Hinc de Spiritûs sancti adventu dicitur: *Factus est repentinus sonus*: ut indicetur, quemadmodum sonus ex collisione duorum corporum exoritur; ita Spiritum sanctum ex conjuncta Patris & Filij spiratione, meritoque amore procedere.

III. Alterum est, ut bene cognoscat causas, quas Spiritus sanctus missus est, quarum tres assignat Ludovicus de Ponte, scilicet 1. *Caritatem* DEI, quæ bonitatem infinitam, quæ, uti movit ipsum ad Unigenitum Filium dandum, ita etiam ad Spiritum sanctum mittendum permovet; ut, quemadmodum

amicus suum amorem abundantius ostendere volens, postquam omnia sua dedit, etiam cor dare optat; ita & ipse post Filium suum datum, etiam cor suum, id est, Spiritum sanctum daret. 2. *Merita Christi*: qui morte, & passione sua hanc gratiam promeruit, sedensque ad dexteram Patris velut *Advocatus noster*, hunc Paracletum petivit, & obtinuit, ut impleret, quod promiserat dicens: Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. 3. *Nostram necessitatem & miseriam*: quæ exigebat, ut Consolator de cælo mitteretur, sicque impleretur illud Davidis: *Miserericordia & Veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.*

IV. Tertium est, ut Fines missionis hujus etiam cognoscere studeat, quorum quatuor assignat idem Ludovicus de Ponte, videlicet 1. Ut Christo succederet in officio Protectoris, Advocati, & Consolatoris; hinc ipse Christus dixit: Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. 2. Ut Eidem in officio Magistris succederet; hinc iterum dixit Christus: Cùm venerit Paracletus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo (hoc est, loco mei) ipse vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, 3. Ut internè illis testimonium daret de Christo, quis esset. 4. Ut hujus Mundi vitia reprehendat, corrigat, eumque de illis convincat; uti iterum Christus dixit his verbis: Cùm venerit ille Paracletus, arguet Mundum de peccato, & de justitia, & de judicio.

V. Quartum est, ut dignam de hac sacratissima Persona æstimationem concipiat, quam quidem facile hauriet, si bene ponderet, hoc esse donum illud:

Q 4

quod

quod Christus in cælum ascensurus Mundo miseris se promisit; ex hoc enim meritò colligitur, illius omnium donorum præstantissimum, Ecclesiæque membris ejus utilissimum esse debere, cum sit utriusque amoris Christi infinito, quo humanum genus semper amplexus est, proportionatum.

VI. Quintum est, ut solidum sciat modum sponendi se ad recipiendum hunc divinissimum hunc, qualis quidem optimus est, si cor ab omni re creato evacuetur; nam, ut rectè advertit S. Bernardus, errat omnino, si quis cælestem illam divinam huic cineri, divinum illud balsamum huiusmodi neno, charismata illa Spiritûs misceri posse huiusmodi hujus illecebris arbitratur. Quis enim sectans carnalia carnis suæ, sperare audeat gratiam illam Spiritûs vehementis, quam ne cum ipsa quidem carne obtinere Apostoli potuerunt? Hinc idem S. Bernardus alibi ait; Quomodo agnoscere potero Spiritûs præsentiam? non oculis, quia colore caret; non auditu, quia sonus non est; non olfactu, quia odore est. Cognoscam ergo illum mutatione visus mei, cum à terreno illud cæleste factum visum carneo spirituale.

§. II.

De Christo.

I. Est Homo ex natura divina & humana, Filij divini personalitate compositus; sic dictus, quod verè ut Rex, Propheta, & Sacerdos unctus est; quo sequentia Ascetæ sunt scienda.

II. Primum est, ut bene apprehendat qualita-
tem, necessitatem, & dignitatem Incarnationis &
Qualitatem quidem optimè ex Symbolo S. Athanasij
intelligere poterit, ubi ea sequentibus verbis explica-
tur. Est ergo fides recta, ut credamus & confitea-
mur, quia Dominus noster JESUS Christus DEI
Filius, DEUS & Homo est. DEUS est ex substan-
tia Patris ante sæcula genitus: Homo est ex substan-
tia Matris in sæculo natus. Perfectus DEUS, perfe-
ctus homo, ex anima rationali & humana carne subsi-
stens. Aequalis Patri secundum divinitatem; minor
Patre secundum humanitatem. Qui licet DEUS sit
& homo, non duo tamen, sed unus est Christus. U-
nus autem non conversione divinitatis in carnem, sed
assumptione humanitatis in DEUM. Unus omnino
non confusione substantiæ, sed unitate Personæ. Nam
sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita
DEUS & homo unus est Christus. *Necessitatem* ex
SS. Patrum doctrina cognoscet, nam, ut rectè S. Au-
gustinus ait, si homo non periisset, Filius hominis non
veniret. Et nisi primus homo delinqueret, secundus
ad passionum probra minimè veniret, teste S. Grego-
rio. Hinc & S. Ambrosius, non prodesset, inquit,
nasci, nisi redimi profuisset. Clarissimè verò S. Au-
gustinus, Mediator, ait, inter DEUM & homines,
oportebat, ut haberet aliquid simile DEO, aliquid
simile hominibus, ne in utroque hominibus similis,
longè esset à DEO; aut in utroque DEO similis,
longè esset ab hominibus, atque ita Mediator non
esset. Dignitatem denique intelligere poterit ex Gra-
natenfis discursu, quem sic format: Dignitas Divinæ
Legis & Dominicæ Incarnationis beneficium colligi-
tur

tur ex illis Moysis verbis : Interroga de diebus
 quis, qui fuerunt ante te, ex die, quo creavit DEUS
 hominem super terram, à summo cælo usque ad in-
 firmum ejus : si facta est hujuscemodi res aliquando
 aut unquam cognitum est, ut audiret Populus vox
 Domini DEI loquentis de medio ignis, sicut tu
 facti, & vidisti. Si ergo magnum fuit, DEUM per
 ignem loqui de medio ignis, quid erit ipsum DEUM
 verum ac verum DEUM in assumpto homine toties
 ter Discipulos consedentem, eosque cælestibus discipulis
 nis imbuentem cernere ? Rectè proin S. Bernardus
 ait : Nemo hominum novit, nec noscere potest
 plenam, quid boni ad gratiam, quid congruentem
 sapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commo-
 di ad salutem, penes seipsam contineat hujus venerabilis
 mysterij, humanæ Redemptionis inscrutabilis
 profunditas.

III. Alterum est, ut bene apprehendat, et
 que inculcet tria officia Christi primaria, nempe Do-
 ctoris, Magistri, & Redemptoris, quæ ipsemet imple-
 vit, dum dixit : Ego sum via (quia duco ad cælum)
 veritas (quia doceo homines veritatem) & vita (quia
 redempturus sum illos.) Hinc S. Leo, Christus, est
 qui, est via sanctæ conversationis ; veritas doctrinæ
 divinæ ; vita beatitudinis sempiternæ. Et S. Cyrillus
 Christus nobis est via per vitæ actionem ; veritas per
 dei rectitudinem ; vita per sanctificationem.

IV. Tertium est, ut pariter bene apprehendat
 tria officia, quæ vicissim quis Christianus erga
 seipsum exercere debet, nempe 1. *Caritatem tenerrimam*
propter dilectionem, quod officium pulchrè indicat
 S. Augustinus, dum dixit : Domine, qui tibi non se-

vit, (& te amat) quia creatus est, infernum meruit; sed qui tibi non servit (& te non diligit) quia redemptus est, meretur, ut novus pro illo infernus fiat. 2. *Gratitudinem maximam propter redemptionem*: si enim, ut S. Bernardus sapienter advertit, totum me debeo pro me facto, quid addam pro me refeito, & refeito hoc modo? 3. *Imitationem studiosissimam propter perfectionem*: Idem enim Dominus JESUS, ut ait S. Laurentius Justinianus, quod alias docuit verbo, ipse suos primò formavit exemplo. Utrumque nobis, & meritum patientibus & patiendi speculum factus. Et clariùs S. Ambrosius: Tempus faciendi, non jubendi, quia non legatus, neque Nuntius, sed Dominus ipse salvaturus erat populum suum, Tempus faciendi, Domine, hoc est, ut crucem ascendas, ut mortem subeas; totus in periculum ultimum mundus urgetur; factum tuum subveniat, quoniam dec tua præcepta prodesse poterunt.

§. III.

De Sacrificio Missæ.

I. Est actus Religionis, quo DEO tanquam supremo Domino corpus & sanguinem Filij sui incremento modo offerimus; unde nulli Sanctorum, sed soli DEO offerri potest. Tria autem de eo specialiter Ascetæ scienda sunt.

II. Primum est, ut bene cognoscat finem & scopum, ob quem hoc Sacrificium à Christo institutum est. Pro quo meliùs cognoscendo, sciendum ex S. Thoma, triplex olim Sacrificiorum genus fuisse. I. *Holocaustum*, quod totum comburebatur, ut signi-

significaretur, quòd, sicut totum animal resolvebatur in vaporem, ita totus homo DEI dominio subiectus esse debeat. 2. *Sacrificium pro peccato*: cuius pars comburebatur, altera in usum Sacerdotum cedebat, ad significandum, quòd hæc expiatio Sacerdotum Ministerio fiat. 3. *Hostia pacifica*: quæ DEO vel pro gratiarum actione, vel pro salute & prosperitate offerentium, ex debito beneficii accepti recipiendi offerebatur, ideòque pars una DEO, altera Sacerdoti, tertia offerenti cedebat: His ergo sacrificiorum generibus nunc Sacrificium Missæ spondet, Holocausto quidem, quatenus *Latentium* Sacrificio pro peccato, quatenus *Propitiatorium* gratiæ pacificæ, quatenus *Evcharisticum* vel pacificum est; cui triplici fini ex institutione Christi quatenus cedit, scilicet ut sit *memoriale* Passionis illius, & illud Christi mandatum: Hoc facite in meam commemorationem.

III. Alterum est, ut sciat solidum & utile fructum, hoc Sacrificium cum debita reverentia fructusque offerendi, qui quidem modus in tribus serietatibus consistit. 1. *In digna præparatione*: quæ duplex est, remota & proxima. Prior consistit tum in purissimo & sublimissimo sensu erga hoc divinissimum ministerium acquirendo; tum in assiduo conatu perseverandi in vitæ puritate & Sanctitate; tum in constanti gratiæ auxilijs ad hoc SS. Sacramentum sanctè tractandum frequenter implorandis. Posterior consistit tum in puritate conscientiæ per confessionem contritionem procurandâ, & in proposito ac fervore Sancta sanctè tractandi per pia suspiria instauranda. 2. *In digna celebratione*: quæ tria requirit, nimirum

ut pronuntiatio, & quæcunque exterior actio non minus ædificationi aliorum, quàm propriæ devotioni serviat: ut eæ, quæ libertati Sacerdotis relinquuntur, actiones (uti sunt Commemoratio vivorum & defunctorum, adoratio Hostiæ & Calicis, meditatio post sumptionem Hostiæ) ad finem ab Ecclesia institutum dirigantur: ut in orationibus & reliquis verbis ab Ecclesia in Missali præscriptis affectus inclusi, maximè profundæ demissionis, reverentiæ, amoris in adorando & tangendo Christi corpore eliciantur. 3. *In digna gratiarum actione post Sacrificium peractum*: quæ consistit tum in ardentibus amoris, Fidei, aliarumque similibus virtutum actibus eliciendis: tum in oblatione corporis & Sanguinis Christi, & suis cum omnibus potentijs, uti Thomas Kempensis loco citato pulchrè ostendit: tum in suis & aliorum necessitatibus commendandis, ut idem Author cit. cap. 9. docet.

IV. Tertium est, ut sciat etiam solidum modum applicandi hoc Sacrificium, pro quo quidem quatuor agenda suadet Gavantus. 1. Ut intendat omni meliori modo prodesse ijs, quorum Ecclesia in Canone meminit, videlicet totius Ecclesiæ, Papæ, Episcopi ordinarij, Circumstantium &c. 2. Ut provideat sibi de portione quoque debita, quam Theologi specialem vocant, nisi malit eam, quatenus remissionem pœnæ temporalis involvit, alteri transcribere. 3. Ut suffragari intendat maximo, quo potest, affectu ijs, quibus vel titulo stipendij, vel obedientiæ, vel alio simili obligatur. 4. Ut alijs etiam, quantum sine præjudicio priorum fieri potest, prodesse studeat, eosque specialiter DEO commendet.

§. IV.

§. IV.

De Eucharistia.

I. Est Corpus Christi sub speciebus panis et anima & divinitate realiter & substantialiter existentem. Vocatur Eucharistia, id est, bona gratia, seu gratiarum actio, quia præcipuum DEI donum, ipsiusque omnium gratiæ fontem & Authorem continet. Per sequentia de ea specialiter scire debet. Ascera.

II. Primò bene perpendat finem, ob quem institutum est, qui quidem triplex est potissimum ab ecclesia his verbis indicatus: O sacrum convivium, quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ pignuratur. Primus ergo finis est, ut esset memoriale passionis, & infiniti amoris per passionem ostensi; quæ ob causam per modum Sacrificij instituit, & ipsi ecclesiæ inspiravit, ut in eo offerendo tales potissimum cæremonias eligeret, quæ ad cruentum sacrificium Crucis oblatum vel maximè essent accommodatæ. Hæc sicut olim Thales Mandrayto Parienensi, quem non quædam de cælo sideribus docuerat, pecuniam quam tam veller, offerenti respondit, se non aliud petere præmium, quàm ut Thalesem non celet authorem, cuius horum incidere mentio; ita Christus pro hoc beneficio non aliam magis exigit gratiarum actionem, quam ut, quotiescunque hoc fecerimus, faciamus in eius commemorationem. Secundus est, ut esset fons gratiæ & consolationis, ad quem in omnibus nostris necessitatibus recurremus; hinc per modum convivij instituitur, cuius principale officium est, nutrire, augere, & delectare. Tertius est, ut sit pignus futuræ gloriæ: hinc

Deitatem suam etiam & subsistentiam corpori suo unitam dare voluit, ut, quò præstantius foret pignus, tantò firmiorem spem conciperemus promissæ, gloriæ offerendæ.

III. Secundò bene perpendat, in quo consistat verus & solidus cultus Evcharistiæ, quem Christus à nobis in grati animi signum requirit, nimirum in sequentibus tribus officijs. 1. *In crebra visitatione*: ut scilicet, sicut ipse per viscera misericordiæ suæ visitavit nos oriens ex alto, falsusque est delicias suas esse cum filijs hominum; ita nos quoque vicissim ipsum frequenter in hoc sanctissimo Sacramento latentem visitaremus, nostrasque cum ipso delicias esse ostenderemus. 2. *In digna sumptione*: hanc quippe potissimum intendit, dum sanctissimum corpus & sanguinem obtulit nobis, ut non moreremur, sed viveremus in æternum, cælesti hoc epulo recreati. 3. *In Zelosa invitatione & distributione hujus Sacramenti*: ut scilicet buccellam nostram non comederemus soli, sed potius clamarem ad proximos nostros: Venite, & emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac. Comedite Bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.

IV. Tertiò bene perpendat, quæ ad dignam sumptionem hujus SS. Sacramenti pertineant, scilicet probatio sui (juxta illud S. Pauli: probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.) Hæc autem probatio in quatuor potissimum capitibus consistit, teste Canisio. 1. *In fide viva*, qua firmiter & simpliciter credatur, quidquid DEUS de hoc mysterio augustissimo per Ecclesiam revelavit. 2. *In seria pœnitentia* per peccatorum confessionem coram Sacerdote factam;

etiam;

etiam; nam, ut rectè. S. Augustinus advertit, in C
 sti corpore vita nostra consistit; mutet ergo vitam
 vult accipere vitam. 3. *In mentis attentione*; ut
 cet animus præsens accedat, & per meditatione
 preces pias ad hoc tantum Sacramentum
 convertat; nam, ut S. Chrysostomus monet, ut
 mensa regia, adstant Angeli mensæ hujus ministri,
 oscitabundus adstas? 4. *In decenti habitu & cõposi-*
 ut scilicet, nemo nisi castus, jejunus, modestus, sup
 minimèque fordidus accedat. Si enim Pericles int
 gatus, cur longè cultior, quàm aliàs soleret, ad
 accederet? respondit: in gratiam sponsi, ut pulch
 pulchrum veniam; quantò magis in gratiam tant
 spiritus similis præparatio adhibenda est ab eo, qui ad
 convivium accedit.

V. Quartò bene perpendat, quæ ad commun
 nem spirituales dignè & fructuosè peragendam
 runtur, nimirum 1. Ut sciatur, quid sit; nempe
 census quoddam desiderium sacramentaliter commu
 nicandi; hoc modo enim impletur, quod DEUS
 Davidem dixit: Dilata os tuum, & implebo
 2. Ut sciatur, quòd, qui panem hunc fide &
 dilectionem operante comedunt, fructum ejus &
 tatem consequantur, uti Concilium Tridentinum
 Certè non defuerunt, qui expertos se falsi sunt, non
 norem fructum ex hac, quàm reali communice
 percepisse. 3. Ut privilegia hujus communionis
 ne intelligantur, quòd scilicet oculos aliorum fugiat
 que adeò vanæ gloriæ non sit exposita: quòd
 singulis diebus, imò sæpiùs eodem die
 queat.

VI. Quæ

VI. Quintò bene perpendat causas, ob quas ex frequentiori communione minùs proficitur, ut prudenter occurrere possit. Sunt autem quatuor potissimùm ejusmodi causæ. 1. *defectus intentionis*, quia scilicet tantùm ex consuetudine peragitur hæc communio, aut certè extimore, 2. *defectus legitima dispositionis*: quia scilicet vel conscientia non est sufficienter purgata à peccatis, vel certè terrenis cupiditatib⁹ est infecta. 3. *defectus devotionis in ipsa sumptione*: eò quòd ad hanc mēsam non aliter ferè, quàm ad corporalem cœnam accedatur. Qui cibum non præmansum deglutit, parùm aut nihil gustùs percipit: pari modo neque Eucharistiæ fructum dulcedinēque percipiet, qui non attentas consideratione summi doni ac beneficij se ad devotionem excitare studet. 4. est *defectus collectionis* post communionem; quid enim prodest, potionem medicam sumpsisse, si causa morborum non tollatur? quid prodest hypocaustum vel balneum calefieri, si mox a pertis undique januis calor inde exulet? quid juvat unguentum pretiosum infundere in vas fractum, unde statim iterum profluat? Talibus ergo sequētes veritates ponderandas Cornelius à Lapide offert. 1. Infirmus, Domine, qui tecum non exhilaratur, valde propè est, ut cadat. 2. Anima, quæ tecum non exultat, unde poterit exultare? 3. Qui tecum, Domine, non est contentus, quomodo non crepat. 4. Qui, dum te Hospitem habet, properat, ut domo exeat, facilè ostendit, se cor habere alibi obstrictum. 5. Cui tecum manere tædium est, nescit, quòd tu sis DEUS, & totum bonum ejus. 6. Qui tecum non manet libenter, ostendit, se phrenesi laborare, cùm hujus rei causa natus sit.

R

VII. Sextò

VII. Sextò bene perpendat tentationes & circa communionem occurrere solita, quæ ad tres species revocari possunt. 1. *Est circa fidei difficultas* ob quam pluribus contigit, quod Aristoteli, qui Euripi fluxum comprehendere voluit, nec valuit, ipsum in illum præcipitavit. Contra hanc tentationem optimum remedium, piam & diligentem ipsius sacramentij frequentationem, S. Franciscus Xaverius ce-
 Id quod etiam Thomas Kemp. judicavit, dum dicitur: Fides à te exigitur, & sincera vita, non altitudo lectûs, neque profunditas mysteriorum DEI. Peccata ergo cum simplici & indubitata fide, ac reverentia Sacramentum accedere, & quidquid intelligere non vales, DEO omnipotenti securè committe. 2. *Est circa frequentiam communionis*; quam aliqui frequenter peragere horrent ob indignitatem; alij nimium concedi queruntur ob desiderium. Qua quidem tentatio optimum erit consilium, quod S. Ignatius S. Francisci Borgiæ de hac re eum consulenti dedit, nimirum esse unâ amissi omnia ingenia metienda: alijs tamen alijs frequentius ad divinam mensam accedere, uti debet. Suadere itaque & hortari, prudentem aliquem piûmque virum è multis eligeret, cujus potissimum consilio in studio pietatis uteretur. 3. *Est circa dispensionem debitam afferendam*, maximè à conjugatis, quibus re bene notandum est consilium S. Francisci Salesii verbis declaratum: Si satis prudens sis, tibi nec Mater nec uxor, nec Maritus, nec Pater impedimentum erunt, quò minùs sæpe Sacramentum Communionis obeas; cum enim ipsâ Communionis die, officij partes pro statu tuo convenienter expleas, & erga Deum lo stum benignior, tum affabilior sis, nullumque peccatum

obsequij illis deneges, verisimile certè non est, illos hoc in exercitio ullatenus te impedire velle, cum nullum ipsius ex hoc secuturum sit incommodum, nisi forsan admodum impertinentes, morosi, & rationi dissentanei forent. Hoc in casu si director tuus ita faciendum suaserit, illorum voluntati forsan condescendum erit. Pro Conjugatis hinc aliquid addam oportet. In veteri lege vetuerat DEUS, nec creditores diebus festis debitum à Debitoribus suis exposcerent; at non damna- bat, si debitores ijs diebus ea, quæ debebant, exigenti- bus solverent. Indecens est, quamquam non magnum peccatum, matrimoniale debitum eâ die exigere, quâ sacram quis adiit communionem; at indecens non est, imò meritorium, ipsum reddere. Non ergo ob debiti ipsius redditionem communionem quis privandus est, si alio qui devotio ad ipsam adeundam feratur. Certè in primitiva Ecclesia Christiani quotidie communicabant, esto essent conjugati, & prolibus operam darent.

§. V.

De Baptismo.

I. Est Sacramentum & remedium, quo Homi- nes à peccato originali & actuali liberantur, & felici- tatis aeternæ heredes afficiuntur; de quo tria præcipuè scienda sunt Ascetæ.

II. Primum est, ut sciat differentiam inter hunc, & S. Joannis Baptistæ Baptismum. Quæ idem sep- tplex fuit. 1. In formâ. 2. in necessitate; quia baptis- mus Joannis non erat necessarius ad salutem, sicut ba- ptismus Christi. 3. In efficacia: quia baptismus Joan- nis non remittebat peccata, nec conferebat gratiam, nec per se disponebat ad illam, ut baptismus Christi. 4. In

R 2

exben-

extensione : quia non extendebat se baptismus Joannis ad parvulos, utpote pœnitentiæ incapaces. 5. *in ratione significationis* : quia baptismi Joannis non erat sacramentum. 6. *In Duratione* : Quia ille ad annum duravit tantum, non autem baptismus Christi. 7. *In repetitione* : quia baptismus Christi ob impressum characteris repeti non potest, uti tamen baptismus Joannis poterat.

III. Secundum est, ut institutiois causam bene cognoscat, quæ quidem quatuor plerumque affliguntur. 1. est, ut spiritualis hominum generatio animantium generationi respondeat, quæ ex aquis viventis, & volatile super terram. 2. ut causa efficiens, gratiæ baptismalis, scilicet mors Christi, aptius præsentetur; sicut enim Christus morte superata commendatus, & tertia die sine carnis corruptione suscitatus est; ita qui baptizatur, aquæ immergitur indeque rursus mox emergitur sine læsione; ut se Christo consepultum, ejusque temporali morte æterna morte ereptum esse. 3. ut principalis effectus scilicet ablutio à peccatis, aptius repræsentetur. 4. baptismus tantò faciliùs admitti possit, cum aquæ immersionis facillimo negotio haberi possit.

IV. Tertium est, ut bene cognoscat officium hominis baptizati, atque ad illud implendum persequatur quod quidem officium breviter indicavit S. Augustinus, dum dixit: Sancto Baptismo consona sit vita Christiana, ne cuiquam homini, si utrumlibet desideraverit, vita promittatur æterna. Qui enim dixit: non quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum; ipse etiam dixit: nisi ab-

daverit Justitia super Scribarum & Phariseorum, non intrabit in regnum cælorum. Clarius verò S. Ambrosius id ipsum indicavit dicens: Quando Levita te interrogavit: Abrenuncias Diabolo, & operibus ejus? quid respondisti? abrenuncio. Abrenuncias sæculo & voluptatibus ejus? quid respondisti? abrenuncio. Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis si Chirozaphum homini dederis, teneris adstrictus, & reluctantem te scenerator adstringit: si recusas, vadit ad Judicem, atque illic tua cautione convinceris. Hoc bene considerans Muritta Diaconus Elpidophorum, quem de fonte à se susceptum, à fide defecisse adverterat, ostensâ veste alba, quam in baptismo acceperat, sic allocutus est. Hæc sunt linteamina, Elpidophore, minister erroris, quæ te accusabunt, dum Majestas venerit judicantis: quas custodivit diligentia mea ad testimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abyssoputei sulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerat de fonte surgentem. Hæc acrius persequetur, cum flammantem gehennam cœperis possidere, quia induisti maledictionem sicut vestimentum, scindens atque admittens veri baptismatis & fidei Sacramentum. Quid facies miser, cum servi Patrisfamilias ad cœnam congregârint invitatos. Dicit tibi Rex: Quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem? non video vestem, quam tibi dedi, perdidisti militiæ chlamydem, quam aquâ mundavi, & purpurâ mei sanguinis decoravi. Characterem non video Trinitatis, ligate ergo eum pedibus & manibus, qui se separavit à Fratibus Catholicis, in tenebras projicite. Hoc ipsum alia similitudine declarans S. Chrysostomus ait: Arbores,

R 3

quæ

quæ insitæ sunt, & cæteram habuerunt diligentiam agricolatum adhibitam, si nullum referant laboris fructum, si similitudinem, radicitus evulsæ igni tradentur; tale quod in causa contingit baptismatis. Cùm Christus instituerit, & irrigatione spirituali potiti fuerimus, inde fructum nullum afferamus, ignis nos expectat gehennæ, & flamma inextinguibilis.

S. VI.

De Confirmatione.

I. Est unctio Chrifti sub præscripta formula Verborum, in fronte baptizati ab Episcopo facta, quæ ex institutione Christi, gratiæ & robur augmentum accipit; de qua sequentia Ascetæ scienda sunt.

II. Primum est, ut bene cognoscat naturam institutionem hujus Sacramenti, nempe quod sine fine à Christo institutum, ut Christianus non solum regni & sacerdotalis dignitatis fiat consors, sed insuper etiam contra Diabolum, aliosque animæ hostes hinc defensor, quemadmodum S. Augustinus loquitur.

III. Alterum est, ut ad illud maturè dignè suscipiendum hortetur; cùm enim id contra gravem lapsum confirmet ac protegat, quibus juvenilis ætas magis hoc remedium arripitur, quàm in posteriore ætate differtur.

IV. Tertium est, ut ad dignè cooperandum hoc Sacramento, hortetur illis S. Pauli verbis: Labora ut bonus miles Christi; eumque in finem sibi gratiam Sacramentalem Confirmationis à Spiritu Sancto accipiendi imaginetur, illaque olim ad Judam Machabæum dicitur.

verba repeti: Accipe Sanctum gladium, munus à DEO,
in quo deijcies Adversarios Populi mei Israël.

§. VII.

De Confessione.

I. Est Sacramentum, in quo homini peccata sua legitimè confitenti & detestanti vera à Sacerdote absolutio, eorùmque remissio conceditur; de qua sequentia Ascetæ specialiter sunt notanda.

II. Primum est, ut ante omnia Electionem legitimi Confessarij suadeat, ideòque illud Ecclesiastici monitum in memoriam revocet: Ne subijcias de omni homini pro peccato. Et illud Ludovici Regis Filio datum præceptum: Fac idoneus tibi sit Conscientiæ Arbitr, cujus prudentiâ doctrinâque semper tutus sis. Quam in rem Joannes Avila, Confessarium, inquit, elige unum ex millibus, imò ut S. Franciscus Salesius ait, inter decem millia; dici enim non potest, (addit idem,) quanta sit ad excipiendas confessiones idoneorum inopia; si ex his tribus, caritate scilicet, doctrinâ, & prudentiâ vel unicum in aliquo desideretur, est periculosa plenum opus alex.

III. Alterum est, ut integritatem confessionis omni modo procuret, ideòque sedulò duos errores cavere faciat, scilicet *Erubescentiam*, quæ facit, ut peccata quoad substantiam non integrè aperiantur: & *negligentiam*, quæ facit, ut in genere duntaxat, & non quoad debitas circumstantias eadem peccata manifestentur. Et ad priorem quidem errorem cavendum proderit memorabilem S. Augustini sententiam proferre: O homo, quid times confiteri? illud, quod per confessionem

R 4

nem

nem scio, minùs scio, quàm illud, quod nescio. lac hi
 confiteri erubescis peccata tua? peccator sum, ita ce
 & tu, homo sum, humani nihil à me alienum pui V
 Confitere homo homini, homo peccator homi Con
 peccatori. Elige, quod vis; si non confessus lae sedule
 inconfessus damnaberis. Ad hoc DEUS exp qua,
 confessionem, ut liberet hominem, humilem; quidq
 hoc damnat non confitentem, ut puniat superbu gionis
 Ad alterum autem errorem cavendum proderit Car est, ic
 nalis Bellarmini verba referre: Quæso te, inquit, itam
 um aliquem ante tribunal Judicis constitueres, & Confe
 diceres aliud, quàm: Iste egit contra legem; peti titiam
 velis ferre sententiam. Quid Judex iste responde Major
 an non putaret, se irrideri? Iste egit, inquis, contra Pœnic
 gem? contra quam legem? stulte, quam sententia illas E
 feram, si quod ejus sit peccatum, ignorem? Pari qua p
 one si Medicum adeas, & dicas: Mihi aliquid dolet fugiar
 hibe, quæso, medicamentum. Quid ille? non dico rem e
 stupide, quid est, quod tibi dolet? Caput, oculi, de dum t
 tes, renes, pedes? an putas omnia medicamenta om runt.
 bus malis convenire? Quid si tu podagrâ labores, exclar
 ego medicamentum dentibus adhibeam? quæ v

IV. Tertium est, ut sciat utilem & efficacem mo
 dum, confessionem fructuosam efficiendi, quod hie
 si efficiat, ut cum sincero dolore, & serio proposito
 mendationis peragatur; in quo quidem dolore & pro
 positò potissimum hujus Sacramenti fructum confite
 re, non immeritò dicunt Ascetæ; ita ut Thomas Kemp
 pensis dicere ausus sit: Secundum propositum nostrum
 cursus profectûs nostri. Unde rectè sibi quisque de
 ctum illud S. Macarij applicabit: Ploremus Fratres
 & producant oculi nostri lachrymas, antequam de
 lac

hinc eamus, ubi nostræ igneæ lacrymæ corpora nostra comburent.

V. Quartum est, ut non frequentiam duntaxat Confessionis, sed generalis etiam Confessionis usum sedulum vehementer commendet; illam quidem, quia, ut Catechismus Pij V. sapienter & rectè dixit, quidquid hoc tempore Sanctitatis, pietatis, & Religionis in Ecclesia summo DEI beneficio conservatum est, id magna ex parte Confessionis tribuendum est. Istam verò, scilicet generalem Confessionem, quia & Confessario, & Pœnitenti majorem tribuit statûs notitiam, pro directione ipsius cumprimis necessariam; Majorem item parit confusionem & dolorem, dum Pœnitens omnia peccata sua in cumulo conspiciens in illas Ecclesiæ voces prorumpit: Heu mihi Domine, quia peccavi nimis in vita mea, quid faciam miser, quò fugiam, nisi ad te DEUS meus? Et tandem majorem etiam securitatem & quietem animæ generat, dum supplet ea, quæ in alijs Confessionibus defuerunt. Ut meritò in consideratione horum fructuum exclamet S. Augustinus: O felix conscientia puritas, quæ vermem interiorem excludis, quæ à carcere doloris liberas rationem, quæ ab omni immunditia purgas mentem. O mens sancta! O Paradisus deliciarum, varij bonorum operum virgultis confusus, variisque virtutum floribus purpuratus, & suaviter cælesti gratia irrigatus. Hæc est, Fratres mei, Paradisus, in quo plantatur lignum vitæ, & cælestis sapientia; hæc est thalamus DEI, palatium Christi, habitaculum Spiritûs

Sancti,

R §

§. VIII.

§. VIII.

De Extrema Unctione.

I. Est Sacramentum à Christo institutum ad agrotum de vita periclitanti conferendam salutem animæ vel etiam corporis, per unctionem olei benedicti & orationem Sacerdotis; de qua tria peculiariter altissimæ sunt nota.

II. Primum est, ut bene cognoscat finem propter quem institutum est, qui quidem clarè ac distinctè à Concilio Tridentino sequentibus verbis instituitur: visum est autem sanctæ synodo, præcedente doctrinæ de pœnitentiâ adjungere ea, quæ sequuntur. Sacramento extremæ unctiōnis, quod non modo pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetuè pœnitentiâ esse debet, consummativum existimatum est à Patribus. Primum itaque circa illius institutionem declarat, & docet, quod Clementissimus Imperator noster, qui servis suis quovis tempore præstitit de salutaribus remedijs adversus omnia hostilitata esse prospectum, quemadmodum auxilia ministravit in Sacramentis alijs præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni gravitate Spiritûs incommodo possint; ita extremæ Unctiōnis Sacramento finem vitæ tanquam firmissimo quoque præsidio munivit. Nam etsi Adversarius noster inveniatur, qui casiones per omnem vitam quærat, & capere, ut vorare animas nostras quoquo modo possit; nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes adversariæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, à fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ detra-

bandos, quàm cum impendere nobis exitum vitæ
perspicit.

III. Secundum est, ut pariter bene cognoscat
naturam, & tempus institutionis hujus Sacramenti,
de quibus idem Concilium sic loquitur: Instituta
autem est sacra hæc Unctio infirmorum, tanquam
verè & propriè Sacramentum novi Testamenti, à
Christo Domino nostro apud Marcum quidem insi-
nuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini
Fratrem Fidelibus commendatum ac promulgatum.
Infirmatur, quis in vobis &c. Quibus verbis, ut ex
Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia di-
dicit, docet materiam, formam, proprium Ministrum,
& effectum hujus salutaris Sacramenti. Intellexit
enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo be-
nedictum; nam Unctio aptissimè Spiritûs S. gratiam,
quâ invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræ-
sentat. Formam deinde esse illa verba: per istam
Unctionem &c.

IV. Tertium est, ut dignam de hoc Sacramen-
to æstimationem concipiat, quod fiet, si effectus il-
lius à citato Concilio sequentibus verbis indicatos be-
ne ponderet: Res porro & effectus hujus Sacramen-
ti illis verbis explicatur: Et oratio fidei salvabit infir-
mum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit,
dimittentur ei. Res etiam hæc est gratia Spiritûs san-
cti, cujus Unctio delicta, si quæ sint adhuc expian-
da, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam
alleviat, ac confirmat, magnam in eo divinæ miseri-
cordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus sublevatus
& morbi incommoda, labores levius fert, & tenta-
tionibus dæmonis, calcaneo insidiantis facilius resi-
stet,

fit,

stit, & sanitatē corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur. Quòd autem hæc facta modò post Sacramentum hoc acceptum tam ratio quatur, duplicem rationem affert Marchantius; primam, quòd infirma admodum eorum, qui id suscipiunt, fides sit; testatur quippe Evangelista, Dominum apud suos non multas virtutes fecisse propter incredulitatem eorum. Alteram, quòd seriùs, quam oportet, id suscipiant; neque enim per hoc Sacramentum miracula expectanda sunt, quale foret, si qui animam agit, repente convalesceret,

§. IX.

De Matrimonio.

I. Est legitima viri, feminæque conjunctio, secundum consuetudinem vitæ individuum inter ipsos conjugum transigendam divinitus instituta; de quo quinque præcipuè Ascetæ sunt scienda.

II. Primum est, ut bene cognoscat finem Matrimonij, quem quidem Canisius ex SS. Patribus in verbis assignat: Cujus conjunctionis conjugalis primarium Authorem quæris, DEUS est optimus maximus, qui primos conjuges & humani generis parentes in ipso Paradiso conjunxit, suæque benedictione cohonestavit. Sin finem institutionis spectas, est humani generis ad DEI gloriam propagatio, & conjugum inter se familiaris, fidusque convictus, ac præterea fornicationis in hac naturæ corruptæ imbecillitate devitatio.

III. Alterum est, ut bene cognoscat triplex Bonum Matrimonij, quod ex dicto fine confurgit, & quo

quo Concilium Florentinum sic loquitur : Assignatur triplex bonum Matrimonij. Primum, proles suscipienda ad cultum DEI, & educanda. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium, indivisibilitas Matrimonij propter hoc, quòd significat indivisibilem conjunctionem Christi & Ecclesiæ.

IV. Tertium est ; ut cognoscat bene impedimenta tum dirimentia, tum impediencia contractum, quæ quidem passim apud Casistas & Summulistas reperiuntur ; id interea fixum, ratumque habeat, ejusmodi impedimenta gravissimas ob causas ab Ecclesia constituta, atque adeò diligenter observanda esse, uti clarè indicat concilium Tridentinum, dum ait : si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis aut affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediunt, & dirimant anathema sit.

V. Quartum est, ut solidum ac utilem cognoscat modum contrahendi matrimonium, juxta quem alios instituat, qui quidem in eo ferè consistit, ut in Christo, cum Christo, & propter Christum matrimonium suscipiatur. 1. *In Christo* tunc suscipitur, quando doctrina S. Pauli observatur, quâ dixit : Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam. & : Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Christo. 2. *Cum Christo* contrahitur Matrimonium, si diligenter priùs invocetur in electione, usurpando illa verba Apostolorum. Tu, Domine, qui corda nôsti omnium, ostende, quem (aut quam) elegeris. Deiq

si in ipsa contractione prius in SS. Eucharistia sumatur. Et tandem si ante consummationem patet exemplo Tobia junioris invocetur. 3. *Propter Christum* suscipitur Matrimonium, si vocatio ad illud gener inquiratur, & ideo status hic assumatur, quod DEO ad eundem nos vocare placuit.

VI. Quintum est, ut noverit potiores tentationes conjugij, modumque aptum eisdem occurrentibus. Quales ferè sunt. 1. Asperitas aut morositas alterius conjugis; contra quam vix aliud efficacius est medium, quam patientia & mansuetudo; nam responsio mollis, multò magis omnimoda taciturnitas & simulatio frangit iram. 2. Liberos aut Familiarum mores discoli, qui & ipsi mansuetà potius quam aspera correctione sanandi, & ubi conatus nihil profecerit, cum patientia supportandi, justitià que divini sui tempore castigaturæ relinquendi sunt. 3. Sollicitudo pro rebus ad se, familiamque sustinendam necessarijs: contra quam optimum est medium, ut querant sollicitè prius regnum DEI, & justitiam ejus, cognamque de DEI bonitate & fidelitate fiduciam concipiant. 4. Detestatio sui status, utpote impedimentum ad bene pieque vivendum objicientis; quibus optime occurret, illud S. Chrysostomi in memoriam invocando: Audiant viri & mulieres, & discant patientiam virtutem: nec putent nuptias in causa esse, quò minus quis DEO placeat, nam idcirco divina scriptura semel & iterum id significavit, dicens: genuit Jerusalem, & tunc placuit, ac repetit dicens, & postquam placuit, genuit, ne quis arbitraretur, oblatulum virtutis esse conjugium. Et iterum alibi: Adjutrix tibi data est, non insidiatrix, an non habebat uxorem

uxorem Propheta ? neque tamen spiritui gratiæ ob-
stabat conjugium. Moyses nonne uxorem habuit ?
& tamen is Petram dirupit, aërem immutavit, cum
DEO loquebatur, iram divinam cohibuit. Abra-
ham nonne habebat uxorem ? & tamen Pater factus
est Gentium & Ecclesiæ. Demum omnes Prophe-
ta & uxores habebant, & domos, ut Isaias, Ezechiel,
& magnus Moyses, & inde nihil ad virtutem læde-
bantur.

C A P U T II.

DE ADIVMENTIS GRATIAM
IMPETRANTIBVS.

§. I.

De Passione Christi.

I. Sunt cruciatus & mors à Christo pro gene-
ris humani redemptione tolerati ; de qua quinque
Alceræ sunt scienda.

II. Primum est, ut cognoscat *Convenientiam*
Passionis, quæ quidem ex quintuplici respectu colligi
potest ; nam I. fuit convenientissima *respectu DEI* :
cujus Justitiæ satisfieri non poterat, nisi per passionem
Filiij, sanguinisque illius effusionem. 2. *Respectu Chri-*
sti : qui condignum pretium pro sua & hominum
gratia offerre debebat ; hinc Isaias DEI nomine præ-
dixerat : Si posuerit pro peccato animam suam, vide-
bit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus
dirigetur, id est, quidquid circa homines in vitam æ-
ternam supernaturaliter perducendos fieri constituit
DEUS, meritis Christi executioni mandabitur, ut
inter-

interpretatur Ludovicus Molina. 3. *Respectu Al-*
mi: ut ipsius peccatum, quod fuit fons & origo
 terorum, debita proportione plecteretur; id
 præclare Eusebius Emyssenus per sententiam §. 4. a
 38. citatam ostendit. 4. *Respectu Diaboli*: qui
 liore modo confundi ac vinci non poterat, quam
 proprijs armis Christus eum vinceret, & sicut
 per lignum & Mulierem in mundum invexit mortem
 aliâque miseras, ita Christus per lignum Crucis
 MARIAM Matrem suam Mundum iterum redime-
 ret, & salvaret. 5. *Respectu Hominum*: quos
 caciis non poterat à vitijs abstrahere, atque ad
 tes exercendas excitare, quam si tali modo pateretur
 & moreretur. Quæ omnia fusius à P. Fabro
 §. in Dom. Pass. explicantur.

III. Secundum est, ut pariter etiam cognoscere
 re studeat *Fontes*, ex quibus gravitas dolorum ac
 ciatum Christi tam externorum, quam internorum
 profuxit, quorum quatuor assignat Faber conc. 2. in
 Parascève. Primus est *Caritas Christi*, tum erga
 DEUM, tum erga homines, quæ, sicut fuit infini-
 ta copiosissimè satisfacere volebat. Secundus est
Caritas dolorum: jam olim in veteri lege præfigurata
 ubi vetatur quidquam mellis adoleri in sacrificio,
 in sacrificio crucis omnis suavitas defutura erat. Ter-
 tius est *tenerrima complexio Corporis Christi*: cum
 nim animâ nobilissimâ præditus fuerit, meritò debe-
 bat etiam sensus longè vivaciores habere, atque
 & sentire magis dolores. Quartus *duratio & con-*
nuatio Passionis, tamque variorum & multiplicium
 mentorum; decretum quippe erat Dæmoni, omni-
 bus

bus eum viribus invadere, ut, quem ista non poterat vincere, gravitate tormentorum superaret.

IV. Tertium est, ut utilem cognoscat modum colendi debite SS. Christi Passionem, qui quidem in tribus præcipue capitibus consistit, nempe 1. *In assidua memoria.* 2. *In cordiali & firma fiducia.* 3. *In liberali & amorosa compassione;* quæ non in affectu duntaxat sistat, sed ad effectum etiam progrediatur, id est, ad crucem cum Christo ferendam incitet. Quâ ratione autem hanc ferre debeamus, pulchrè ostendit S. Gregorius, dum ait: *Crux à cruciati dicitur; & duobus modis crucem bajulamus, cum aut per abstinentiam carnem affligimus, aut per compassionem Proximi, necessitatem illius nostram putamus.*

V. Quartum est, ut utilem sciat modum meditando passionem Christi, qui quidem duplex assignatur à Ludovico de Ponte. Primus est, ut singula mysteria seorsim considerentur, perpendendo, quod sive in Personis, sive verbis, sive opetibus consideratione dignum est. Secundus est, ut dolor aut virtus aliqua particularis pro materia meditationis assumatur, & perpendatur, quid circa illos in omnibus Passionis partibus contineatur. Uterque autem ut efficax & fructuosus sit, curandum est, ut sequentibus ferè affectibus condiatur? 1. *Gratitudinis.* 2. *Doloris.* 3. *Fiducie.* 4. *Amoris.* 5. *Patientie;* de quorum potentibus sic loquitur Thomas Kemp. In Christi passione quatuor cogitanda sunt, scilicet dilectio ejus reamando: amaritudo ejus compatiendo: fortitudo ejus adversa patienter sustinendo: & utilitas ejus gratias agendo.

VI. Quintum est, ut cognoscat finem, qui in ejusmodi consideratione præfigendus est, qui itidem juxta diversitatem statuum varius est; nam Tyrones quidem efficacissima reperient media, ad suas passiones mortificandas; Proficientes, ad crescendo in omni genere virtutum; perfecti, ad consequendum ardenti amore unionem cum DEO; cum, teste Laurentio Justiniano, hoc sit summum beneficium, in quo divinæ miserationis referatur abyssus, caelum aperitur janua, caritatis latitudo ostenditur, & quantus sit homo, apertissimè monstratur; vile enim esse non potest, quod Filij DEI sanguine comparatur.

§. II.

De Cruce.

I. Prout hîc accipitur, est afflictio seu tribulatio pro Christo patienter tolerata; de qua Sequenti Ascetæ sunt scienda.

II. Primum est, ut bene cognoscat fines, quos à DEO ejusmodi tribulationes immitti solent, qui quidem ad tres fermè revocari possunt, videlicet I. ad *correctionem*; quem finem Salomon indicandum dixit: O quàm bonus & suavis est, Domine Spiritus tuus in omnibus! ideóque eos, qui exerrant partibus corripis: &, de quibus peccant, admones & alloqueris, ut relictâ malitiâ credant in te, Domine. Et id ipsum confirmans Scriptor libri Machabæorum ait: Propter quod nunquam quidem à nobis misericordiam suam amovet; corripiens verò in adversis Populum suum non derelinquit. 2. Ad *probationem*: quem finem iterum Salomon indicavit, dicitur

dixit : Sicut igne probatur argentum , & aurum camino , ita corda probat Dominus . Et iterum : Vasa figuli probat fornax , & homines justos tentatio tribulationis . Hinc Tobiaë cæcitate percusso dixit Angelus : Quia acceptus eras DEO , necesse erat , ut tentatio probaret te . 3. *Ad dilectionis offensionem* : uti ipse non semel suis amicis indicavit , præcipuè dum B. Baptistæ Veranæ dixit : Recordare , magis me tibi ostendisse signum amoris , dum te afflixi , quàm dum tenerem in dulcissimis brachijs meis . Et iterum S. Gertrudi , dum eam vehementer turbatam his verbis consolatus est : Ne contristare ; delector enim tuâ cohabitatione , ideo ut mecum maneat , mitto tibi amicos contrarios , ut , dum in nulla creatura fidelitatem reperis , ad me pleniùs recurras . Cujus causam alibi reddens eidem dixit : Singula detrahentium verba sume tibi loco virtutum , quibus exornata pervenies ad me , & ego compassivâ pietate meâ compulsus benignè suscipiam te . Et quaniò plùs conversatio tua sine culpa reprobatur , eò amplius cor meum amatoriâ blanditate tibi condescendit , quia per hoc efficeris mihi simillima , qui in operibus meis semper habui perversiores . Præ ceteris verò hoc ipsum confirmat , quòd quondam Christus per Catharinam quandam Ordinis Carmelitarum Monialem , vitæ sanctitate celebrem , ad venerabilem Annam à S. Bartholomæo ejusdem Ordinis , gravissimos dolores magnâ constantiâ patientem scribi jussit , ubi post alia sic loquitur : Quò quisque de meis unquam mihi fuit gravior , amiciòrque , hoc majorem crucis meæ partem singulari ex favore imposui ferendam . Ita Apostoli mei , ita ipsa Mater mea experta est , cujus animam

doloris gladius in tantum pertransiuit, ut merito sit
Martyrum Martyr & Regina nuncupetur.

III. Alterum est, ut bene sciat artem, quâ tribu-
lationes & crucem huiusmodi portare, solidumque et
ijs fructum reportare debeat, nimirum 1. *Ardenter*
desiderando crucem; quod facillè obtinebit, si non ad
dolorem aut molestiam exterius apparentem, sed fru-
ctum intus latentem attendat. Certè B. Angela de
Fulginio dixit: Scio, Filioli mei, quòd nobilitas &
valor, qui exit de tribulatione, non est nobis cogi-
tus, alioquin esset de illo magna rapina, & quilibet re-
peret ab alio, de quo tribulari posset. 2. *Alacriter*
& cum gaudio suscipiendo ac portando crucem: amari-
tium more, qui, dum mutuò sibi manus etiam cum
dolore comprimunt, gaudent potiùs, complacèntque
sibi in tali dolore, quàm tristentur, eò quòd sciunt,
ipsum ardentissimi amoris argumentum esse. 3. *Con-*
stanter eam usque ad finem portando: exemplo Chri-
sti, descendere ex ea nolentis, etiamsi à Judæis ad
incitatus fuerit.

IV. Tertium est, ut efficax sibi remedium pro-
curet, quo animus ad Crucem explicato modo por-
tandam animetur, ac roboretur, quale quidem pro
reliquis respectu Hominis ad perfectionem tendentis,
censeri debet Amor; nam hic, pio Asceta teste, co-
nus non sentit, labores non reputat, plùs affectat,
quàm valet: de impossibilitate non caufatur,
quia omnia sibi posse & licere
arbitratur.

* *
*

§. III.

De Pœnitentia.

I. Est virtus, quâ peccata nostra, ut sunt DEI offensa, detestamur, & eadem efficaciter expiare, & deinceps cavere statuimus; de qua Sequentia Ascetæ specialiter scienda sunt.

II. Primum est, ut bene cognoscat circumstantias ad veram pœnitentiam requisitas, quorum quatuor sunt potissimæ. 1. Interno dolori & pœnitentiæ externam jungendam esse; nam pœnitentia sine jejunio otiosa est & infrugifera, teste S. Basilio. 2. Discretionem quoque semper pœnitentiæ, ut germanam sororem sociandam; uti sapienter monuit S. Climacus dicens: Vidi imbecilles animas ac debilia corpora pro peccatorum multitudine superiora atque majora certamina arripere conari, nec ea posse sustinere. Quibus ego, humilitatis (inquam) non laborum magnitudine, DEUS pœnitentiam meretur atque judicat. 3. Celeriter suscipiendam esse; periculosissima quippe est, teste Eusebio Emiseno, in ultimum diem promissa securitas. Deinde stultissimum est, ut causa, quâ de necessitatibus agitur æternis, mutabilitatibus vitæ deficientis committatur extremis. Hinc Psalmista ait: pro hac (scilicet pœnitentiâ & veniâ) orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno. Opportunum autem tempus quod sit, indicat alibi, dum ait: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.

III. Secundum est, ut bene cognoscat motiva ad pœnitentiam citò & seriò agendam, quæ quidem ad tria ferè capita revocari possunt. 1. Ad *æquitatem*:

S 3

Quid

Quid enim æquius, quàm ut DEO ad pœnitentiam tam sollicitè invitanti respondeatur? Quid iniquius, quàm velle, ut DEUS in morte peccatorem pœnitentem exaudiat, cum ipse eum toties hortantem pœnitentiam totam vitam non audierit? Quid turpius, quàm DEO summo Benefactori ultimam vitæ partem velut beneficium consecrare, Diabolo verò summo & infernalissimo hosti optimam & potissimam vitæ partem donare? 2. *Ad utilitatem*: Quatenus per accelerationem pœnitentiæ innumerabiles illi & incomparabiles peccatorum thesauri, qui intra illud tempus, quo pœnitentia differtur, negligentur, inæstimabili cum lucro redimuntur. 3. *Ad securitatem*: Sic enim evitatur periculum salutis, quod per dilationem pœnitentiæ triplicem ob causam incurritur, nempe quia & DEUS irritatur, ne pœnitendi spatium aut gratiam concedat, & quia ob consuetudinem peccandi, & desuetudinem bene agendi difficilior efficitur conversio; & quia senectus aut ultimus morbus perquam ineptam & male dispositam reddunt ad conversionis negotium seragendum, ut merito Christus monuerit: Orate, ne fiat fuga vestra (seu conversio ad DEUM) hinc me vel Sabbato, ut enim hyems ad ferendas fruges, & Sabbatum ad operationem & lucrum ineptam tempora; ita idem de senectute & ultimo morbo sciendum est, ut aded non sine fundamento S. Hieronymus pronuntiârit: Vix ex centum millibus hominibus, quorum mala fuit vita, in morte Divinam indulgentiam obtinebit unus.

IV. Tertium est, ut bene nôrit impedimenta quæ plerumque Peccatores absterrent à pœnitentia aptaque pro illis removendis remedia suggerere possint.

Quinque autem potissimum sunt ejusmodi impedi-
menta. 1. *Desperatio ob multitudinem peccatorum* :
Quam tollere conabitur Asceta , ostendendo miseri-
cordiæ Divinæ magnitudinem , quæ non modò ve-
niam promittit pœnitenti , sed eundem etiam ultrò
invitat , ideòque ei multitudinem magnitudinẽque
suorum peccatorum ob oculos ponit , ut per easdem
ad pœnitentiam revocetur. Quæ omnia tum appo-
sitis S. Scripturæ , & SS. Patrum Sententijs , tum pro-
batis exemplis confirmabit. 2. *Timor recidivæ* ;
Quem eripere nitatur , ostendendo tum paratum à
DEO auxilium , si ipse Peccator , quantum requiri-
tur ex parte ipsius , accuratè præstiterit , uti ex pluri-
morum conversione patet : tum demonstrando , quàm
stultum sit , ob timorem relapsûs pœnitentiam differ-
re ; quis enim vulneratus recursum ad medicum ?
Quis sorditas habens manus aut vultum ad lava-
tum ? Quis navis aut sentinæ evacuationem ideo tan-
tùm differt , quia fieri potest , ut iterum vulneretur ,
sordes contrahat , aut sentina navisque varios tumultus
& insultus patietur ? 3. *Horror difficultatis* : de
qua libellus de Imitatione : Unam est , quod multos
à profectu & ferventi emendatione retrahit , horror
difficultatis seu labor certaminis. Sed & huic impe-
dimento facilè occurret Asceta , objiciendo tot exem-
pla conversorum , & illud olim S. Augustino dictum
subjiciendo : Potuerunt isti & istæ , & tu non poteris ?
Revocando item in memoriam , S. Augustini de seipso
loquentis confessionem : O quàm suave mihi subitò
factum est , carere suavitatibus nugarum ; & quas a-
mittere metus fuerat , jam dimittere gaudium erat.
Eundem in finem etiam proderit narrare exemplum

de Juvene similem difficultatem in mala consuetudine
deponendâ sentientem, cui Diabolus primùm in spe
Gigantis apparuit, atque ad certamen provocavit; ma-
verò & Angelus secutus est, hortans, ut aggredere-
Gigantem, se enim auxiliatricem ei manum porre-
rum; quod ubi fecit Adolescens, adjuvante Angelo
sine difficultate Gigantem superavit. 4. *Metus*
quam inordinatè amaverat, deserenda: Quem erro-
te conabitur, ostendendo, quam facilè illà ante, quam
amare eam inciperet, caruerit, & verò etiam tempo-
mobi aut mortis sine difficultate cariturus sit? an
ego non possit gratia, quod necessitas vel infirmitas
potest? Ostendat item, quàm omnem voluptatem
hactenus ex re amata perceptam, abundantius in
DEO, per pœnitentiam & caritatem possidendo
venturus sit, ideò que illud Elcanæ dictum eidem ap-
plicet: Cur fles? aut quam ob rem affligitur cor tuum
numquid non ego tibi melior sum, quàm hæc aut illa
creatura? 5. *Respectus humanus*? Quod tamen impedi-
mentum facilè tollet Asceta, si meminisse jubeat, se
ex una parte DEUM, à quo omne bonum, quod habet
accepit: & quod accepturus est, expectat, atque ad po-
nitentiam invitare; homines verò, à quibus nec vitæ
accepit, nec expectat, ab eadem absterrere; an enim
vel micam prudentiæ & æstimationis de DEO possi-
deat, hominum potiùs, quàm DEI invitationem seque-
tur? Hortetur præterea, ut in simili casu illam pij Ascetæ
doctrinam sibi applicet: Fili, jacta cor tuum firmiter
Domino, & humanum ne metuas iudicium, ubi te
scientia pium reddit & insontem (uti vel maxime pe-
pœnitentiam contingit) bonum est, & beatum calere
pati, nec hoc erit grave humili cordi, & DEO
magis

magis, quàm sibi ipsi confidenti. Quis tu, ut timeas à mortali homine? Hodie est, & cras non comparet. DEUM time, & hominum terrores non expavesces.

§. IV.

De Fervore.

I. Est ardens & efficax desiderium, vocationi suæ perfectè satis faciendi; de quo tria Ascetæ peculiariter sunt notanda.

II. Primum est, ut bene cognoscat, & æstimet fervoris hujus pretium, nempe quòd sit proprium indicium fidelis & DEUM sincerè amantis servi, uti rectè advertit S. Climacus, dum quærens, quis est fidelis & prudens Monachus? respondet: Qui fervorem suum servat inextinguibilem, & in dies usque ad finem vitæ suæ ignem igni adjicere, fervorem fervori, desiderium desiderio, & studium studio nunquam desijt.

III. Alterum est, ut sciat, in quibus rebus potissimum suum fervorem ostendere debeat, videlicet in actionibus suis quotidianis rectè obeundis, in victoria sui, in rebus adversis generosè supportandis, & minimis rebus eligendis & cupidè amplectendis, uti sapienter advertit S. Maria Magdalena de Pazzis, ut quæ suas Moniales assiduò hortabatur, ne curarent res magnas facere in apparentia (uti sunt disciplinæ, jejunia, vigiliæ, humicubationes) quia in his dicebat occultari superbiam periculosam animæ, sed potius facerent res minimas, quæ tamen magnæ fiant & sublimes per ordinationem earum ad altum finem, rectâ intentione, quia talibus valde delectatur DEUS, & sunt absconditæ ab Adversario.

IV. Tertium est, ut sciat hunc fervorem per religiosam & prudentem discretionem moderari, ne per excessum illius corpori effectus, animo affectus proximo exemplum, DEO honor subtrahatur, ut rectè alicubi S. Bernardus notavit. Quare illi S. Spiritus monitum semper ob oculos habendum, Mel invenisti? comede, quod sufficit tibi, ne furens fatiatus evomas illud. uti contigit illis, qui, ut Thomas Kempensis loquitur, incauti propter devotionis gratiam seiplos destruxerunt, quia plùs agere voluerunt, quàm potuerunt, non pensantes suæ parvæ mensuram, sed magis cordis affectum sequentes, quàm rationis iudicium. Et quia majora præsumperunt quàm DEO placitum fuit, idcirco gratiam (devotionis) citò perdididerunt. Facti sunt inopes, & viles relicti, qui in cœlum posuerunt nidum sibi, ut humilis & depauperati discant non in alis suis volare, sed in pennis meis sperare.

§. V.

De Lacrymis.

I. Prout hîc sumuntur, sunt humor excrementitius in cerebro, venisque oculorum latens: & ex peccatorum suorum consideratione expressus; de quibus tria Ascetæ specialiter sunt scienda.

II. Primum est, Etsi interdum donum lacrymarum sit specialis quædam & extraordinaria gratia majoribus DEI Amicis concessa, extra hunc casum hæc imperfectiois cuiusdâ indicium esse, uti Christus ipsemet quondam S. Catharinæ Senensi sequentibus verbis dixit: Quando homo privatur consolatione sua extra

vel intrâ, videlicet intus consolatione meâ, vel extrâ mediante creaturâ, sive superveniente diabolicâ tentatione, vel hominum persecutione, cor inde pœnam habet. Oculus verò, qui sentit amaritudinem atque dolorem cordis, effundit illico lacrymas ex quodam tenore gemitu, quo sibi metipsum compatitur amore proprio atque naturali, quia voluntas propria totaliter abnegata & conculcata non est. Et ita lacrymæ sensuales effunduntur, videlicet ex passione naturali, quarum tibi suprâ narravi plenius imperfectionem. Hinc B. Henrico Susoni ob linguarum maledicentiam adversus se exercitam flenti, dixit Christus: Prò pudor! visne in Fœminæ morem lacrymari? certè tibi ipsi apud omnes cæli Cives ignominia notam inures. Terge oculos, & hilarem vultum exhibe, ut neque DEUS, neque Homines animadvertant, afflictionis causâ te plorare.

III. Alterum est, ut cognoscat, etsi ab externis lacrymis, ut paulò antè dictum, omni studio abstinentum sit, internas tamen cuiusvis homini salutis suæ studio summe necessarias, atque adeò continuò fovendas esse, id quod aliqui Christum indicasse volunt, dum dixit: Nisi efficiamini sicut parvuli (qui plus lacrymis, quàm robore virium obtinent) non intrabitis in regnum cælorum.

IV. Tertium est, ut bene cognoscat causas lacrymandi, quales quidem variæ assignantur. 1. *Peccata propria*, ut quæ meritò primum inter lacrymandi causas locum obtinere debent. 2. *Peccata aliena*: id quod perfectorum proprium est, qui, teste S. Gregorio, tantò sciunt de alienis damnis ingemiscere, quanto jam edocti sunt non dolere de suis. Quamvis & aliis hæc causa negligenda non sit, cum, ut idem Sanctus ait,

ait, aliena plangentes sæpe plùs nobis ipsis subvertuntur
quia apud DEUM perfectè diluit propria, qui pro
plangit aliena. 3. *DEI cultus neglectus*: ob quam
causam B. Jacoponus assiduò lacrymabatur, eo quod
amor non amaretur. 4. *Passio Christi*: de qua
sic D. Cyprianus loquitur: Vide, quomodo his, qui
Christi commemorant passionem, inter sacra officia
quasi per quosdam canales de interioribus fontibus
grediantur torrentes; Anima hìc se fletibus abluit,
lacrymis se baptizat. Quàm verò utilis, DEO
grata sit hæc lachrymarum effusio, testatur inprimis
Augustinus, dicens: Magis meretur, vel unam solam
lacrymam emittens ob memoriam Passionis Christi,
quàm si usque ad Terram Promissionis peregrina-
retur. Deinde confirmat ad ipsum Ludolphus in
Saxonia his verbis: Si quis dolores Christi re-
vendo lacrymas ex' compassione effuderit, tantum
ponderis ac momenti apud DEUM erunt, ac si Mar-
tyr inter supplicia eas profunderet. 5. *Dilatio celestis
gloria*: sic S. David gemebat, dicens: Heu mihi
quia incolatus meus prolongatus est! Et S. Asceta
perpetuò flebat ob desiderium cælestis Patriæ.

CAPUT III.
DE ADIUMENTIS IMPEDIMENTA
REMOVENTIBUS.

§. I.

De Religioso Statu.

I. Est status ad Christianam perfectionem
per vota Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ ren-
dens; de quo septem specialiter ab Asceta sunt notanda.

II. Pri-

II. Primum est, ut bene cognoscat, quænam requirantur ad Statum Religiosum, nimirum sequentia tria. 1. *Tria vota* Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ; per hæc enim homo perfectè DEO dedicatur, & abdicatur propria voluntate & libertate. 2. *Regula particularis*, sive Institutum; quæ quidem non per se requiritur, (cùm ad essentiam non alia pertineat regula, quàm quæ in divinis præceptis, ipsisque votis continetur,) sed per accidens, quia Ecclesia non consuevit Statum Religiosum approbare, nisi cum tali particulari regula. 3. *Approbatio Ecclesiæ, & votorum admissio*: quia enim grave periculum immineret Ecclesiæ, si cui-libet licentia fieret novam Religionem excogitandi, ideo meritò à Concilio Lateranensi & Lugdunensi statutum est, ut nullus deinceps Ordo sine approbatione Ecclesiæ institueretur.

III. Secundum est, ut bene cognoscat varios modos, quibus DEUS, vocare solet ad Religiosum Statum, quos quidem S. Bernardus & Cassianus assignaverunt. Tres sunt vocationum ordines & modi. Primus ex DEO est, secundus per hominem, tertius ex necessitate. Ex DEO quidem est, quoties inspiratio quædam immissa in cor nostrum, nonnunquam etiam dormientes nos ad desiderium vitæ æternæ ac salutis excuscat, DEUM sequi, & ejus inhærere præceptis compunctione saluberrima cohortatur. Quo modo B. Antonium avitum esse cognovimus. Secundus vocationis modus est, cùm vel exemplis quorundam Sanctorum, vel monitis castigati, ad desiderium salutis accingimur, (quo modo duo Aulici ex vita S. Antonij lecta vocati sunt.) Tertius verò vocationis modus est, qui ex necessitate descendit, cùm ingruentibus repen tẽ

pentè tentationibus, quæ vel mortis pericula comminantur, vel amissione percutiunt, vel carorum moribus compungunt, ad Dominum, quem sequi in rebus prosperitate contempsimus, saltem inviti properari compellimur. De quo ultimo genere sic loquitur Cassianus: Abbatî Moysi nil defuit ad perfectæ beatitudinis meritum, quòd metu mortis, quæ ei propter homicidij crimen intentabatur, impulsus ad monasterium decurrit; quia ita necessitatem conversionis accipiens, ut eam in voluntatem prompta animi virtute consentens, ad perfectionis fastigia summa perveniret. Paulo nihil obfuit, quòd repentè cæcatus ad viam salutis velut invitatus videtur attractus, qui postea Dominum tanto animi fervore sectatus, initium necessitatis, voluntariâ devotione consummans, gloriosam vitam virtutibus vitam incomparabili fine conclusit.

III. Tertium est, ut solidum sciat modum inquirendi vocationem, qui quidem in sequentibus regulis consistit. 1. Non est expectanda aut expectanda velatio, aut miracula, aliâve signa extra naturæ ordinem, quia, cum DEUS lumen mentis inseruerit, hoc fidem tantum sufficere poterit ad vocationem inquirendam. 2. Ut non minus ad eam, quæ haberi potest maxima, æqualitate componatur, solumque DEI beneplacitum in hoc negotio quærat. 3. Ut, quoniam secretum consilium, conscientiamque per confessionem purgatam, meditationem ac Sacramentorum frequentationi diligentius insistant. 4. Ut, quoniam duo sunt vocationum à DEO perveniendum genera, alterum, quo voluntas vitæ religiosæ desiderio accenditur: alterum, quo ratio illuminata vanitatem ac periculum vitæ secularis ex una parte

ex altera verò securitatem ac felicitatem vitæ religiosæ agnoscit, diligenter inquiratur, quo horum dorum generum quisque vocatus sit; & si quidem priori genere se quis vocatum sentiat, etsi non simpliciter necessarium sit, ut ulteriori inquisitio instituat, tamen majoris securitatis gratiâ, etiam Rationis consulatio jungatur, & ab initio quidem finis, propter quem creati sumus, ob oculos ponatur: deinde verò varij status, de quibus consultandum est, ob oculos ponantur, & quid in singulis commodi, incommodi ve reperiatur, tum ex illorum, tum ex nostra natura iudicetur. Tum quid in morte aut iudicio extremo elegisse malleamus, aut, quid alteri cuiquam æquè nobis cognito ac amato, ac nos ipsi chari aut cogniti sumus, suaderemus in hoc negotio, perpendatur. Tandem tota hæc electio DEO commendetur, & cum viro aliquo prudente communicetur, ejusque super ea consilium requiratur.

IV. Quartum est, ut solidum etiam sciat modum exequendi vocationem, qui quidem in quatuor potissimum industrijs consistit. 1. Ut magni æstimetur beneficium vocationis ad religiosum statum, quem in finem memorabilis ista S. Bernardi sententia proderit: Magna est super nos, magna valde misericordia DEI nostri, quos tam ineffabili Spiritûs tui virtute, tam inæstimabili dono gratiæ suæ eripuit à vana nostra conversatione hujus sæculi, in quo eramus aliquando sine DEO, aut certè, quod execrabilius est, contra DEUM, non ignorantiam habentes, sed contemptum. Cujus vitæ, aut potiùs mortis (anima enim, quæ peccaverat, ipsa moriebatur,) utinam frequenter in oculis cordis nostri tetra versaretur imago, quanta videlicet cæcitas, quanta perversitas illa fuerit, ut sedula meditatione

tatione pensantes misericordiae pondus, etsi non tam perfecte, sicut est, aliquatenus tamen aestimare possumus liberatricis misericordiae quantitatem. Jam vero si quis ex nobis diligenter considerare non negligat, modò unde erutus, sed ubi sit constitutus: non solum quid evaserit, sed & quid acceperit: non tantum unde revocatus sit, sed etiam, quò vocatus sit, inveniatur sine dubio cumulum hujus misericordiae omnino mensurae prioris excedere quantitatem. In eodem finem non parùm proderit ponderasse, quò S. Basilius monet, scilicet eum, qui saeculo nunc remisit, hoc imprimis cogitare debere, se jam humanae naturae fines processisse, seque ipsum instituto tradidisse, quod sit quàm maximè à corpore se junctum, ac propterea Angelorum conversationem imitandam suscepisse: siquidem hoc Angelicae naturae proprium est, liberum esse à vinculis terrenis, nec omnino distrahi ad ullam aliam pulchritudinem contemplandam, sed oculos in DEI vultum assidue defixos habere. Unde meritò etiam P. Hieronymus Platus discrimen hoc esse ait inter saecularem, qui affectu saeculari relinquit omnia, & Religiosum, qui affectu & opere omnia relinquit, quòd ille quasi adverso flumine migret, & ideo difficiliùs, tardiùsque progrediatur, graviùs fatigetur, & faciliùs relabatur; quoniam vixit est, qui in ea perpetua contentione ac lucta adversa tot difficultates & impedimenta durare possit. In vero quasi propitijs ventis feratur, utpote quem nihil impedit aut retardat, omnia juvant & impellant, locustatus, socij, occupationes & studia, quibus tenentur denique quidquid videt, vel audit. 2. Ut bona contentione amplectatur Statum Religiosum, nam, ut S. Augu-

Augustinus sapienter dixit, magni interest, cum aliquid boni facimus, cujus rei contentione faciamus; officium quippe nostrum non initio, sed sine pensandum est; ut scilicet non tantum, si bonum est, precipue si bonum est id, propter quod facimus, cogitemus. Ut celeriter executioni mandetur vocatio; nam, ut recte discurret S. Joannes Climacus, si vocante nos terreno & mortali Rege, & in suum obsequium nos militare jubente, nihil moraremur, neque occasiones quæreremus, sed omnibus dimissis illi magna alacritate pareremus; attendamus nobis ipsis, caveamusque diligenter, ne forte Regi Regum & Domino Dominantium, & DEO Deorum nos vocante ad caelestem hunc ordinem, propter nostram desidiam, & negligentiam obtemperare recusemus, & postmodum ante tribunal illud horrendum inexcusabiles inveniamur. Pulchre etiam S. Basilius, ad vitam, inquit, te vocamus, o homo, quid fugis vocationem? ad bonorum participationem, quid negligis donum? regnum Caelorum apertum est: qui vocat, non mendax est: via facilis est: non tempore, non sumptu, non negotio opus est. Quid cunctaris? quid tergiversaris? quid jugum times, velut juvenca nondum jugum experta? bonum est, leve est, cervicem non atterit, sed glorificat. Subde indomitam cervicem, fias Christi jumentum, ne dimisso jugo & vitam degens liberam, feris te laniandum exponas. Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus: dulcedinem mellis quomodo eam ignorantibus declarare possim? Gustate, & videte. Aliam vero adhuc rationem accelerandae executionis affert S. Augustinus his verbis: Ecce indulgentiae dator aperit tibi ostium, quid moraris? gaudere deberes, si aperiret ali-

T

ali-

aliquando pulsanti, non pulsâsti, & aperit, & foris re-
manes? ne ergo differas. Et iterum: De misero-
cordiæ operibus quodam loco scriptura dicit: Ne dixisti,
vade, & revertere, cras ego dabo: cum possis contem-
nuò benefacere non enim scis, quid sequenti contige-
rit die: Audisti præceptum non differendi, ut in
alium sis misericors, & differendo, in te es crudelis
exhibe & animæ tuæ eleemosynam. Non dicimus,
ut tu DEO des, sed non repellas manum dantis.
Ut constanter portetur jugum Religionis semel suscip-
tum: nam, ut S. Ephrem ait, si quis post renuncie-
tionem & abdicationem vitæ, in virtutis stadio claudere
inceptit, & sensim à recta via resilire, oculis
retrosum convertere, hîc & in vita præsentis erit ex-
emplo, & post hanc vitam regno cælorum privatus, in-
gnum seipsum Sanctorum choro reddet. S. Bernar-
dus verò ait: Qui de Monasterio ad sæculum redeunt,
à Societate Angelorum seperantur, & Dæmonibus
sociantur. Qui sanctam congregationem relinquunt,
& ad sæcularem vitam descendunt, à Societate DEI
elongantur, atque dominio Diaboli subjugantur. Hinc
meritò Cæsarius sic Monachos suos hortatus est: Quo-
gravius, quàm ut subito eradiceris de loco, ad quem
Dominus DEUS tuus vocaverat, in quo te primò
illuminaverat, in quem te post mala sæculi quasi
portum de gravi tempestate eduxerat? oblivisci sub-
fraternitatis, societatis, & consolationis, oblivisci
loci illius, in quo primò pristinum habitum, & sa-
culares mores exueras? aves ipsæ diligunt nidos suos
amant feræ loca, in quibus nutritæ sunt, amant cubilia
& pascua, & tu intellectu præditus, ratione munitus,
ita interdum alienus à ratione efficeris, ut præterea

DEI beneficijs voluntates vel intentiones tuas, & sequaris proprias cogitationes, quæ quamlibet ad duros labores, quamlibet ad salutis naufragia, atque animæ detrimenta te rapiant, totum hoc præ nimia cordis indignitate non sentis. Nec dicas, inquit S. Chryostomus, unde nobis constare poterit, quòd stabit ille, perseverabit omnino? multi enim exciderunt. Et ego tibi respondebo: unde verò tibi constat, quòd non perseverabit? multi enim sunt, qui perseveraverunt, & quidem longè plures, quàm qui exciderunt. Itaque istorum gratiâ magis confidendum est, quàm illorum metuendum.

VI. Quintum est, ut sciat, in quo consistat verus Spiritus seu perfectio Religiosi Status, nimirum in cognitione & amore DEI; sicut enim Beatorum in cælis felicitas his duobus consummatur; ita perfectio hominum in hac vita, quæ est beatitudo inchoata, in iisdem quoque rebus consistere dicitur. Id quod ipse quoque Christus indicâsse videtur, dum dixit ad Apostolos: Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est: id est, sicut Pater seipsum cognoscendo generat Filium; & amando eundem spirat Spiritum Sanctum, & sic quodammodo in ratione Trinitatis personalis perfectus evadit; ita & homo quoque, utpote ad imaginem DEI factus, per cognitionem & amorem ejusdem Deitatis perfectus efficitur. Sicut autem duplex est amor affectivus, quo quis gaudet de bono Personæ amatae: & effectivus, quo quis operatur propter beneplacitum & bonum amati; ita perfectio quoque duplicem hunc amorem includit, ut scilicet quis ex animo gaudeat DEUM esse, qui est: & simul etiam in substantia, modo, & sine suorum operum so-

lum DEI beneplacitum inquirat, id quod breviter
nonnemo sequentibus duobus versibus indicavit:

Omne tulit punctum, patitur qui semper, agitque,
Quæ vult, quove modo vult DEUS, & quia
vult.

Quia verò ad hanc perfectionem addiscendam, &
exercendam Christus nobis pro Magistro datus est,
ideo rectè à nonnullis Ascetis dicitur tota Religiosorum
perfectio in perfecta imitatione Christi consistere. Id
quod imprimis S. Ambrosius sequentibus verbis indica-
vit: Christus est finis omnium, quæ pia mente poscimus,
in omnibus tibi sequendus est. Ad quem igitur con-
tendas, nisi ad perfectionem omnem, summamque vir-
tutum? Et ideo tibi dicit: Veni, sequere me, hoc est,
ut ad consummationem virtutum pervenire merearis.
Ergo qui sequitur Christum, eum pro possibilitate
sua debet imitari, ut præcepta ejus secum meditetur,
& divinorum exempla factorum. S. Bernardus autem
id ipsum confirmans ubi verbum, inquit, caro factum
est, & habitavit in nobis, jam nobis in eo tradita est im-
mago vitæ, & perfectionis exemplar, quod oporteat et-
iam corporaliter imitari, ut utroque sequentes vestigio,
non ulterius cum Patriarcha Jacob, altero femore clau-
dicemus. Neque id dicemus, tanquam salvari quis vel
hoc tempore nequeat, si secus egerit, sed ut gradum
cognoscat proprium & locum perfectionis, aut discipu-
latûs officium non usurpet. Nam ideo, teste S. Lau-
rentio Justiniano, se voluit transformare in singulos,
ut caritatis compagine singulos reformaret in se, con-
formaretque sibi: Fecit se, sicut te, ut te faceret, sic
cut se,

VII. Sextum est, ut sciat apta & efficacia media perueniendi ad perfectionem Statui Religioso præfixam, quorum sat multa priori §. sunt assignata, sed quæ omnia ferè ad tria reuocari possunt, ab ipsa Sponsa in Canticis mox ab initio assignata, dum dixit: osculetur me osculo oris sui: quibus verbis *grande desiderium* indicavit. Trahe me: quibus verbis gratiam à DEO petiuit, suamque diffidentiam in proprijs viribus declaravit. Post te curremus in odorem unguentorum tuorum: quibus verbis *cooperationem* propriam insinuauit. Hæc sanè tria media, scilicet desiderium, oratio, cooperatio, meritò funiculus triplex dici possunt, quo homo perfectissimè unitur DEO, & sic religiosam perfectionem consequitur.

VIII. Septimum est, ut, quoniam accedentibus ad seruitutem DEI, præparatio ad tentationem suadetur à Siracide, maturè sibi de firmo scuto prospiciat, quale quidem aptissimum à S. Davide offertur, dum ait: Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti me. Hoc sanè scuto contra geminum exercitium, quem, teste S. Augustino, contra homines educit Dæmon, nempe voluptatem allicientem, & tribulationem terrentem fortissimè propugnabitur, veriùsque de illo, quàm Myrtilus miles de hoc scuto suo dicere poterit.]

Effugi geminum clypeo discrimen in uno,

Dum premererque salo, dum premererque sola.

Hinc de eodem Davide, velut viro secundum cor tuum, DEUS dixit: Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.



§. II.

De Votis.

I. Est promissio DEO deliberatè facta de bono possibili & meliori; de quo quatuor specialiter notanda sunt Alceta.

II. Primum est, ut certò sibi persuadeat, hanc votorum, quæ in Religione nuncupantur, triadem esse præcipuum instrumentum adipiscendæ perfectionis, id quod more suo S. Thomas solidè sequentibus verbis demonstrat. Religionis Status tripliciter potest considerari. 1. Secundùm quod est exercitium tendendū ad perfectionem, & quantum ad hoc requiritur, quod aliquis à se removeat illa, per quæ posset impediri, ne totaliter ejus affectus tendat in DEUM, in quo consistit perfectio charitatis. Hujusmodi autem sunt tria. Primum quidem cupiditas exteriorum bonorum, quæ tollitur per votum paupertatis, Secundum autem est concupiscentia sensibilibum delectationum, quæ excluditur per votum Continentiæ. Tertium autem est inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ. 2. Considerari potest Status Religiosus, secundùm quod quietat animum ab exterioribus sollicitudinibus, secundùm illud Corinth. Volo vos sine sollicitudine esse; hæc autem sollicitudinis secularis inquietudo præcipuè ingeritur homini circa tria, primò circa dispensationem exteriorum bonorum, & hæc sollicitudo per votum paupertatis homini aufertur. Secundò circa gubernationem uxoris & Filiorum, quæ amputatur per votum continentæ. Tertio circa dispositionem propriorum actuum, quæ amputatur per

per votum obedientiæ, quo aliquis se alterius dispositioni committit. 3. Considerari potest Status Religiosus, secundum quod est quoddam holocaustum, per quod aliquis se & sua totaliter offert DEO; habet autem homo triplex bonum secundum Philosophum. Primò quidem exteriorum bonorum, quæ quidem totaliter aliquis DEO offert per votum voluntariæ paupertatis. Secundò autem bonum proprii corporis quod aliquis præcipuè offert DEO per votum continentiæ, quo abrenunciat maximè delectationibus corporis. Tertiò bonum animæ, quod aliquis offert DEO totaliter per obedientiam, quâ aliquis offert DEO propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentijs & habitibus animæ.

III. Alterum est, ut singulorum votorum in particulari naturam & obligationem bene cognoscat; quam quidem cognitionem ex libris Ascetarum, maximè ex Alphonso Rodriguez p. 3. tr. 3. & sequentibus, facillè haurire poterit.

IV. Tertium est, ut tam felicitatem eorum, qui vota ejusmodi offerunt liberaliter, & studiosè obseruant, quàm eorum, qui ea violare præsumunt, infelicitatem, & miserum Statum bene cognoscere, & hoc motivo velut principali stimulo se ad obseruantiam illorum excitare studeat. Quem in finem prædest sequentem S. Ambrosij sententiam in memoria habere, quâ utrumque hoc motivum Virgini cuidam lapsæ sic ante oculos posuit: Unde incipiam, inquit, quod primum, quod ultimum dicam? Bona commemorem, quæ perdidisti? an mala defleam, quæ inuenisti? Eras Virgo in Paradiso DEI, utique inter

flores Ecclesiæ: eras Sponsa Christi: eras templum DEI: eras habitaculum Spiritûs Sancti: Et cum dico toties, eras, necesse est, ut toties ingemiscas, quia nec es, quod fuisti. Incedebas in Ecclesia tanquam columba illa, de qua scriptum est: Pennæ columbæ argentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri. Spictebas ut argentum, fulgebas ut aurum, quando cum sincera conscientia procedebas. Eras tanquam Stella in manu Domini, nullum ventum, nullius belli turbulas pertimescebas. Quæ est ista subitanea conversio, quæ est ista repentina mutatio. De DEI Virgine facta es corruptio Satanz, de habitaculo Spiritûs Sancti tugurium Diaboli. Quæ incedebas ut columba, nunc lates in tenebris sicut stellio. Quæ fulgebas ut aurum propter virginitatis honorem, nunc vilior facta es lapide platearum, ut etiam indignorum pedibus concutieris. Quæ fueras Stella radians in manu Domini, veluti de alto ruens cælo, lumen tuum extinctum est, & conversa in carbonem.

V. Quartum est, ut quoniam inter media principia ad exactam Votorum Religiosorum observantiam procurandam, est crebra renovatio votorum, maxime ea, quæ in Societate JESU cum præmissa, triennale collectione, & confessionis generalis institutione peragitur, bene cognoscere studeat, & naturam, & finem seu fructus hujus renovationis, & modum eandem solidè peragendi. Et Naturam quidem quod attinet breviter & bene eam S. Ignatius his verbis indicavit. Vota sua renovare, non est, obligatione novâ se stringere, sed ejus, quâ obstricti sunt, in Domino recordari, atque eandem confirmare, cum voluptate succedet (ut addit Rodriquez) animique alacritate iterando quod

quod semel factum est, eoque testificando, minime id mutare nos, quin potius gratos, aeternumque obnoxios ostendendo tanto Benefactori, qui nos inter suos esse iusserit, eamque nobis mentem injecerit, ac nisi iam nos ei in holocaustum obtulissemus, certe adhuc oblaturos, imò, si mille mundi forent, omnibus illius amore nuncium remissuros; si voluntates nobis, totidemque corda forent, omnia patiter eidem præbituros. Quam quidem alacritate, si pro eo, ac par est, hæc votorum renovatio fiat, nova haud dubie, nec vulgaris à DEO gratia initur; quemadmodum enim complacentia de peccato olim patrato, novum peccatum est, novaque injuria, ac novam pœnam exigens; ita vicissim voluptas, ac complacentia rectè facti bona, multumque divinæ bonitati accepta est.

VI. Jam verò finis seu fructus hujus renovationis, triplex à S. Ignatio rectè statuitur, nempe 1. *Devotionis augmentum*, quam experiuntur affatim, qui se ritè ei comparant. 2. *Excitatio memorie*, quâ obligationis, per quam DEO quisque adstringitur, recordatur, ut firmiter promissis steter, virtutemque ardentioribus in dies animis imbibat. 3. *Major in sua vocatione confirmatio*: sicut enim generale tentationibus omnibus antidotum est, contrariarum virtutum actus exercere (quoniam contraria contrariis curantur) ita contra interiores tædij, displicentiæque motus, quibus Dæmon infestat, hæc votorum instauratio tutissimum est præsidium, quippe quâ & hostis paulatim exarmatur, & si quid fortè per incuriam, commissum aut omissum est, cum scœnore compensatur.

VII. Denique modus hanc renovationem instituendi optimus & solidissimus est, qui ex similitudine

cum imagine renovanda petitur, ut videlicet 1. Sordes & maculæ eluantur; id quod per generalem confessionem, & frequentem contritionem elicitam impletur. 2. Novi colores apponantur; quod fit per ipsam votorum renovationem, novaque alia proposita per varias meditationes excitata. 3. Velum obducatur, ne tam facile iterum per pulveres aut aures maculetur; id quod perficitur, dum radices & causæ imperfectionum indagantur, & efficacia meditationes eas deinceps removendas excogitantur.

§. III.

Abnegatio sui.

I. Est summa rerum omnium vitæ Superbia oblivio, atque à suis voluptatibus recessio, ut S. Basiliius in reg. fusiùs disp. definit; de qua conari debet Asceta, ut cognitionem, æstimationem, & praxin sufficientem acquirat.

II. Et cognitionem quidem quod attinet, hæc non difficulter acquirat, si bene perpendat doctrinam à S. Dorotheo sequentibus verbis datam. Pars Sancti & Majores nostri sibi ipsis Mundum crucifixi, per dura certamina, sese quoque mundo crucifixi. Nos verò videmur nobis ipsis mundum crucifixi, quia reliquimus eum, & ad Monasteria divertimus; at nolumus nos Mundo crucifigere, ab huc enim in animo nostro vigent blanditiæ illius, ab huc in nobis ipsis affectum abscondimus. Compatimur illius gloriæ, compatimur delicijs & voluptatibus, compatimur ornamentis & vestibus, ob viles & inanes res delabimur plerumque ad pristinas ejus passionem

fiones. Quod sanè non nisi ex amentia provenit, ut, qui pretiosas & magnas res reliquimus, ob minimas plurimum perturbemur. Atque id à nobis pessimè; ut enim Mundo & ejus rebus abrenunciavimus, ita & pristinis ejus passionibus abrenunciare debemus.

III. Praxin verò abnegationis ex sequenti S. Nili Abbatis doctrina discet. Consulendum est, inquit, iis, qui nuper à mundi tumultu discesserunt, ut quietem & silentium colant, caveântque, ne frequentius in publicum prodeundo, vulnera per sensus accepta cogitatione renorent, néve antiquis peccatorum similitudinibus alias formas adjungant; mens enim eorum, qui nuper à malitia recesserunt, similis est corpori ex diuturno morbo convalescere incipienti, quod nondum confirmatis viribus quælibet affectio in graviores morbum impellit. Unde & S. Bernardus ait, omnis nova conversio pristinae vitæ habet permistionem.

IV. Æstimationem denique ex doctrina ab ipso Christo S. Mariæ Magdadenæ de Pazzis data concipiet; sic enim ei dixit: Inter impedimenta donorum S. Spiritûs non tantum sunt ea peccata, quæ DEUM expellunt ex anima, sed & propria voluntas, & proprium judicium eorum, qui modo suo volunt servire DEO. Qui quidem desiderant Spiritum Sanctum, sed eum desiderant eo modo, qui illis placet, & qui illis videtur, & sic se reddunt inhabiles ad percipiendum eum, qui est, tanquam hamus quidam, quo DEUS vult capere animam ex se adeò vilem.

* *
*

§. IV.

De Cognitione sui.

I. Est Scientia, quâ homo ad movendum actum suum, seipsum quoad naturalia & moralia cognoscit, & quid ex se habeat, quid verò ex DEO possideat, attenta mentis consideratione discernit, qua tria bene observare debet. Ascera,

II. Primum est, in quo consistat vera sui cognitio. Quâ in re facem egregiè præfert S. Ambrosius sic discurrens: Quid est se noscere? nisi ut sciat unusquisque hominem ad imaginem & similitudinem DEI factum, rationis capacem, qui terram suam excolere, tanquam bonus Agricola debeat, aratro quadam & falce Sapientiæ, ut vel dura findantur, vel luxuriantia recidantur, qui inferiorem sui portionem omnium imperio debeat gubernare? Unde etiam in legibus scriptum est: attende tibi: ne fiat verbum absconditum in corde tuo. Tibi, inquit, attende; non de tique dicit pecuniæ tuæ, non possessionibus tuis, non viribus corporis, sed animæ ac menti tuæ: unde cetera consilia, facta, cogitationesque manant. Tibi ergo attende ibi, ubi potiorem esse te nôsti.

III. Alterum est, ut magnam concipiat æstimationem de hac cognitione; quam quidem haud difficulter concipiet, si meminerit, eandem meritò ab antiquis Patribus pro fundamento totius ædificij spiritualis habitum esse, utpote ex qua vera & genuina humilitas, sine quâ nec caritas, nec ulla alia virtus subsistere diu potest. Adde, quòd, teste Aristotele, diffi-

ficillimum, atque adeò pulcherrimum quoque sit cognoscere seipsum.

IV. Tertium est, ut solidam quoque praxin cognoscat, acquirendi & exercendi hanc sui cognitionem; quam quidem duplici modo consequi potest, nempe vel per comparisonem sui cum DEO aut cum alijs hominibus, maximè justis & perfectis, uti supra §. 6. num. 1. S. Ignatium doctuisse diximus; vel per accuratam considerationem propriarum infirmitatum & imperfectionum, uti Innocentius Pontifex docuit sequentibus verbis: O vilis conditionis humanæ indignitas! O indigna vilitatis humanæ conditio! herbas & arbores investiga, illæ de se producunt flores, & frondes, & fructus, & tu de te lendes, lumbricos, & pediculos. Illæ de se effundunt oleum, vinum, & balsamum, & tu de te sputum, & urinam, & sterminus. Illæ de se spirant suavitatis odorem, & tu de te reddis abominationem fœtoris. Qualis arbor, talis fructus; non enim potest arbor bona malos fructus facere.

§. V.

De Examine Conscientiæ.

I. Est seria super actiones suas quotidianas reflexio; de qua tria præcipuè Ascetæ bene observanda sunt.

II. Primum est, ut magnam æstimationem concipiat de illo; quod obtinebit, si perpenderit, hoc medio multos sanctos Viros, & præcipuè S. Ignatium, præ reliquis usos fuisse ad magnam sanctitatem comparandam; & præterea bene considerârit, quod
S. Bernar-

S. Bernardus de conscientia nostrae dirigendae necessitate sequentibus verbis insinuavit : unicuique liber est sua conscientia , & ad hunc librum discutiendum & emendandum omnes alij libri inventi sunt. Anima verò cum de corpore egreditur , nullum alium librum , præter librum conscientia , secum poterit portare , neque in illo cognoscet , quò debeat ire , vel quid debeat recipere.

III. Alterum est , ut bene percipiat finem & fructum præcipuum , qui per hoc exercitium quaerendus est , & non est alius , quàm puritas conscientia vitæque emendatio , & in tribus præcipue consistit nempe ut , si hætenus fuerunt multi in nobis defectus , posthac sint pauci : deinde ut , si fuerunt maiores , deinceps sint minores : & tandem ut non sint semper iidem ; eandem enim culpam iterum , iterumque ac sæpius repetere , magnæ socordia & negligentia est argumentum.

IV. Tertium est , ut solidum sciat modum , & utrumque hoc examen fructuose peragendi ; qui quidem in eo potissimum consistit , ut 1. regulas & industrias à S. Ignatio & alijs eum in finem præcipuum accuratè observet. 2. Ut in actuali disquisitione pro dolori , & emendationis proposito , quàm discutit & inquisitioni defectuum insiltat , cum totus fructus examinis utriusque in morum emendatione consistat , ad quem sine dubio dolor serius & efficax propertum , plùs , quàm omnes aliæ industriæ conducunt. Addit B. Maria Magdalena de Pazz. DEUM plusibi complacere in anima viatrice , quæ se conformat per dolorem , quàm quæ se conformat per amorem (quamvis dolor , quem sentit anima ex offensu DEI ,

non possit nasci nisi ex amore, quem habet erga DEUM, qui est absolutè perfectior dolore (quia per viam doloris plùs exercetur anima in amore proximi, dum alienos defectus deplorat; & præterea hic dolor est species Martyrii, quo animæ fiunt similes in cruce pendenti, & dolore suo possunt compati ejus magnis pœnis, & flere amoris lacrymis ejus passionem. Et cùm dolor sit afflictivus, purgat animam à peccatis. Amor est delectabilior, sed cùm sumus in hoc mundo, ut purgemur, est magis tempus dolendi & patiendi pro amore DEI nostri, ideóque DEUS sibi magis complacet de dolore, quàm amore. 3. Ut in hoc exercitio magnâ cum constantia progrediamur, nec animum abjiciat, etiamsi frequentius in eodem defectus labatur, sed potiùs in memoriam revocet id, quod S. Gertrudi petenti, ut certum aliquem defectum à se DEUS tolleret, idem Dominus respondit, dum dixit: quare velles, ut ego privarer honore illo, & tu infinito fraudareris præmio, quod lucraris, quotiescunque illum defectum vel similem recognoscens de cetero cavendum proponis? nam quando- cunque aliquis studet, pro amore meo defectus suos vincere, tantùm mihi exhibet amoris ac fidelitatis, quantùm miles aliquis Domino suo exhiberet, si strenuè in bello contra inimicos se opponens, omnes manu forti viriliter expugnaret, ac prosterneret.

§. VI.

De Minimorum cura.

I. Est studium providum ac diligens rerum minimarum, sive declinandarum, cùm perfectioni nocent:

cent : sive complectendarum, cum profunt ; de qua
quatuor specialiter Ascetæ scienda sunt.

II. Primum est, ut certò sibi persuadeat, hæc
minimorum curam esse unum ex præcipuis capitibus,
à quibus vigor & progressus religiosæ perfectionis pende-
ret ; cum, ut S. Thomas rectè docuit, omnis scientia
operativa tantò perfectior sit, quantò magis particu-
laria considerat, in quibus est actus. Hinc S.
Chrysostomus ait : Nostri Magistri non solum opus
turpe condemnant, neque tantummodo concupiscentiam
prohibere contenti sunt, sed & vultum impudicum,
& lasciva verba, visumque ineptum, sed & ha-
bitum inordinatum, incessum inconditum atque ca-
morem, & omnino usque ad humilia præcepta debent
cuncta diligentiam disciplinæ. Et S. Ephrem sapiens
monet : Eum, qui cæteris præest, peritissimum esse
convenit, & ad consulendum Saluti Subditorum ve-
gilantissimum, utque singulorum observet incessum,
gestum, motum, & halitum, adhibitâ etiam debita-
rum rerum correctione, quæ minùs conveniunt,
ut ad optimum ea Statum, formamque reducantur.
Magistri enim elementorum non solum figuras Disci-
pulis ostendunt, sed etiam minima quæque puncta,
distinctionesque proponunt. Hinc Alphonsus Rodri-
quez de hac materia differens tandem sic concludit,
aitque, tanti nos debere facere ea, quæ de hac mate-
ria dicuntur, ut servire pro generali regula debeant,
scilicet, quamdiu quis æstimabit, magnique faciet res
parvas, rectè incedet, & DEUS suâ gratiâ ipsum pro-
vehet ulterius ; contra si ipsas negligat, periculose in-
cedet, quia scilicet per istam portam omnia mala in
spiritualem Religiosi domum incurrunt.

III. Alterum est, ut sciat, in quibus potissimum minimorum cura occupari debeat; quæ quidem Nigronus in duo capita, scilicet declinanda & quærenda dividit, ut supra vidimus; Lancizius in tria genera distinguit, quorum primum continet fugienda, nempe peccata & imperfectiones; Secundum observanda comprehendit, nimirum leges scriptas, vivâ voce traditas, consuetudines, opera supererogationis, modum hæc omnia exequendi; Tertium mortificanda includit, scilicet externorum sensuum, & internorum affectuum compressionem ac subjugationem.

IV. Tertium est, ut specialem affectum & amorem concipiat erga minima in omnibus rebus ad quotidianum usum spectantibus, puta victu, vestitu, officijs, honore &c. eumque in finem privilegia ejusmodi minimis concessa bene apprehendat, nempe 1. quod DEO magis placeant, utpote in quibus minimum de commodo & amore proprio reperitur. 2. Quod Christi exemplo & verbis (quibus ad novissimum locum amplectendum hortabatur) magis conformia sint. 3. Quod Proximum magis ædificent. 4. Quod majorem profectûs nostri promovendi occasionem offerant, cum, qui magis nos ipsos abnegamus, deprimimus, & humiliamus; tantò magis in Spiritu proficiamus, & caelestium donorum capaces efficiamur. 5. Quod majorem animo quietem concilient; cum ejusmodi minima semper & ubique inveniantur, faciliùs obtineantur, securiùs & sine invidia possideantur, sine labore conserventur, & sine dolore amittantur; atque adeò verum sit, quòd, qui separat pretiosum à vili, quasi os DEI, id est, specialiter dilectus sit.

V

V. Quar-

V. Quartum est, ut tria illa impedimenta, que ab electione & cura minimorum non modicè impediunt, fortiter & efficaciter removeat; quorum primum est *falsa opinio*, quâ sibi quis persuadet, nihil utilitatis, dignitatis aut jucunditatis inesse minimis; sed si gemmario de gemmarum pretio judicanti creditur, cur Christo vilissima semper & minima eligenti non perinde credatur? Secundum est *Erroneum aliorum judicium* nihil ejusmodi minima facientium; verum cum Sapiencia hujus Mundi stultitia sit apud DEUM, quis non videt, ejusmodi judicia ab Ascetâ fortiter spernenda, Christi que & Sanctorum, Perfectiorumque judicijs postponenda esse? Tertium est *non proprius* ad optima quæque & splendida secundum carnem appetenda inclinans; sed si commodiora corpori eligimus, cur non potiùs ea, quæ animæ meliora sunt, inquirimus? quid autem melius & pretiosius quàm minimorum cura?

CAPUT IV.

DE ADIUMENTIS EXCITANTIBUS
AD PERFECTIONEM.

§. I.

De Verbo DEI.

I. Est sermo à DEO immediatè vel mediè prolatus; de quo Sequentia Ascetæ sunt noranda.

II. Primum est, ut necessitatem Verbi divini bene apprehendat, quam quidem sat clarè Philoſophus quentibus verbis ostendit: Ut vera sanitas, quam nullus morbus præcessit in corpore, à solo DEO largitur.

tur quidem, sed ejus liberatio per artem & medicinam, dum sunt & à scientia, & Artifice nos juvari in specie, ipse sanans vel per hæc, vel citra horum operam; sic etiam animæ bona & alimenta largitur DEUS per seipsum; per Verbi autem prædicationem, quidquid ad sanandos animi morbos pertinet.

III. Alterum est, ut certò sibi persuadeat, fructum Verbi divini multum ab hominis cooperatione pendere, id quod pulchrè Origenes sequentibus verbis ostendit: Videtur mihi unusquisque sermo Divinæ Scripturæ similis esse alicui seminum, cujus natura hæc est, ut, cum jactum fuerit in terram, regeneratum in spicam, vel in quamcunque aliam generis sui speciem multipliciter diffundatur, & tantò cumulatus, quantò vel peritus Agricola plùs seminibus laboris impenderit, vel beneficium terræ sæcundioris indulsit. Nec tamen propterea terreatur, si fructum non statim adverterit, sed potius doctrinæ ab eodem Origene datæ sit memor: Solent, inquit, Medici interdum præbere cibum aliquem, interdum etiam potum dare, v. g. ad discutiendam caliginem visûs, nec tamen in edendo ipso cibo, vel in potando sentimus, quia utile est, & prodest oculis, sed cum transierit visum cibi illius, aut poculi virtus, paulatim purgat aspectum, & tunc demum sentire incipimus, quia cibis ille vel potus profuit oculis. Hoc ergo modo credendum est etiam de Scriptura sancta, quia utilis est, & animæ prodest, etiam si sensus noster ad præsens intelligentiam non capit; quoniam, ut diximus, & bonæ virtutes, quæ nobis adsunt, reficiuntur in iis sermonibus, & pascuntur, & contrariæ torpescunt in meditationibus, & effugantur.

V a

IV.

IV. Tertium est, ut sibi præ alijs familiarem esse sacrarum literarum lectionem debere, firmiter persuadeat, eumque in finem Nautas imitetur, ut S. Chrysostomus suadet, qui, cum procellâ digressi fuerint, & multum deinceps pelagus currentes, in portum decesserint quietum, demittentes vela, deponentes remos, egredientes navem, quieti sese, somno corpus recreantes, robustiores conatus reliquam navigationem præparant. Sic ergo & ipsi omni procellâ, tumultuque & fluctibus liberati, quasi tranquillam ad quærendum portum Scripturarum ad lectionem impellamus animas. Id, quod S. Gregorius quoque suavit, dum dixit: Divinas Scripturas sæpius lege, imò nunquam de manibus tuis sacra scriptio deponatur in sacris Scripturis, per quas solas plenè potes DEI intelligere voluntatem. Quid autem in hac lectione observari specialiter debeat, pulchre ostendit S. Hieronymus, dum dixit: Utere lectione divinâ vice speculi, fœda corrigendo, pulchra conservando.

V. Quartum est, ut utilem & solidum modum tractandi S. Scripturam, quem quidem breviter & bene insinuat, S. Chrysostomus, dum Agricola, postquam totius vineæ vindemiam peregerit, non prius desistit, quàm singulos etiam minutissimos acinos decerpserit. Cùm igitur nunc quod videam, sub literis velut sub folijs latere sensus occultos, age & hos rursus diligenter amputemus, pro fructu sermone utentes. Siquidem vinea post fructum semel à vindemiatore desectos, stat nuda fructu nihil habens præter folia; verùm spiritualis Divinarum Scripturarum vinea non item, sed quamvis, quidquid vide-

videbatur, sustulerimus, tamen adhuc amplius super-
est tollendum. Itaque complures ante nos differue-
runt in hanc Parabolam, complures fortassis & post
nos disserturi sunt, nemo tamen poterit totas opes
ertere; nam ea est hujus opulentiae natura, quod fo-
deris altius, hoc magis exundant divini sensus. Fons
enim est nunquam deficiens. Alibi verò iterum ait:
Sicut qui sensibiles thesauros effodere conantur, non
in superficie solum fodiunt, sed in profundum de-
scendunt, penitiores terrae sinus scrutantur, tametsi
saepe post labores & sudores vix paucas portiunculas
afferunt. Non sic in spiritualibus, sed labor hinc mi-
nor, & major ubertas; ita & nos ad ima descenden-
tes Scripturarum, vim in breviculis verbis latentem
investigemus. Item sicut hi, qui in terris metalla fo-
diunt, ne minima quidem frustra praetereunt, verum
ubi nacti fuerint aliquam venam auream, meatus
omnes exactè circumspiciunt; multò magis hoc fa-
cere nos oportet in S. Scripturis. Sed nec illud S. Au-
gustini omittendum monitum; Verbi DEI auditor,
inquit, similis esse debet animalibus, quae ab hoc,
quod ruminant, munda esse dicuntur, & non pigeat
cogitare, quae in alvo cordis accipit, & cum audit,
sit similis edenti: cum audita in memoriam revocat,
sit similis ruminanti.

VI. Quintum est, ut de interpretatione S. Scri-
pturarum illas duas doctrinas bene observet, quarum
primam offert S. Petrus, dum ait: Hoc primum in-
telligentes, quod omnis prophetica Scriptura non sit
privatae interpretationis. Alteram S. Augustinus tra-
dit, dum monet, ut, cum quis in sacrarum volumi-
nibus literarum, aliquam velut diversum sonante sen-
tentiâ

tentiâ sollicitatur, certâ & inconcussâ fide teneat, nullamquam deesse veritatem, etsi non facillè propter magnitudinem rei intellectus quærentibus occurrit.

VII. Sextum est, ut meminerit, potissimum fructum, quem in Verbi Divini lectione, auditione, & prædicatione quæreere quisque debet, esse implementationem Verbi. Sic enim disertè monet S. Chrysostomus, dum ait: Sint Scripturæ Divinæ semper in manibus, & jugiter mente volvantur; nec sufficienti tibi putes, mandata DEI memoriâ tenere, & operibus oblivisci, sed ideo illa cognosce, ut facias, quicquid didiceris; non enim Auditores legis iusti sunt, sed factores. Cui consentiens S. Bernardus, sic præserta Sermonem DEI, quo modo meliùs servare poteris cibum corporis tui; nam & ille panis vivus est, & cibus mentis. Beati, qui custodiunt illud. Ergo extrajiciatur in viscera quædam animæ tuæ, transeat in affectiones tuas, & in mores tuos.

§. II.

De Gratia.

I. Est qualitas quædam supernaturalis, quæ anima ad consequendam beatitudinem supernaturalem promovetur, ut S. Thomas. 1. 2. q. 110. a. 2. eam describit, de qua Sequentia Ascetæ specialiter sunt notanda.

II. Primum est, ut DEO circa distributionem gratiæ plenè acquiescat, recolens illud S. Augustini: DEI gratia cur ad istum veniat, ad illum non veniat, occulta causa esse potest, injusta esse non potest.

III. Alterum est, ut eandem gratiam dignè æstimare discat, quod facilè assequetur, si firmiter sibi doctrinam S. Thomæ persuadeat asserentis, bonum gratiæ unius majus esse bono totius naturæ universi. Quod quia difficulter aliqui capiunt, ideo monet Nierenbergius, ut, quemadmodum oculus videntem parvas stellas ratio corrigit, & docet singulas majores esse toto terræ globo; sic opinione, quâ gratiam ut rem exiguam apprehendimus, corrigamus, & minimam ejus partem, toto universi imperio majorem esse credamus.

IV. Tertium est, ut se legitimè disponere sciat ad gratiam: quâ de re sic loquitur S. Thomas: Bonum est diffusivum sui: sed sicut Sol lucet semper, non semper illuminat: ignis calet semper, sed non semper calefacit, nisi dispositum; sic DEUS effluit, sed non influit, nisi recipienti & disposito (quæ dispositio est conversio animæ ad DEUM per potentias.) Verùm DEUS sine mensura effluit, sed cum mensura recipis. Hinc & S. Augustinus dixit: Desiderando, ô homo, capax efficeris, ut implearis.

V. Quartum est, ut cooperari gratiæ sedulò studeat; nam, ut advertit Gerson, plerumque fit justo DEI judicio, ut, qui gratiam vel neglexerit, vel repulerit, abutens donis DEI, & talentis summi Patrisfamilias in primo ætatis vigore, dum fas erat; postmodum ad eam veniendi nequam recursus habeatur.

* *
*

V 4

§. III.

§. III.

De Sacerdote.

I. Est Clericus ad offerendum DEO incrementum Sacrificium, aliisque Sacramenta administranda legitimè ordinatus, de quo quinque præcipue Alceas sunt scienda.

II. Primum est, ut *Vocatio ad eundem* *ac prudenter inquiratur*: intelligitur autem hoc loco *Vocationis* nomine nihil aliud, quàm dispositio divinæ providentiæ, quâ pro suo beneplacito quosdam homines seligit, & segregat ad opus Ministerij divini, ipsisque qualitates & gratias ad id necessarias elargitur. Unde patet ex tribus potissimum indicijs colligi posse vocationem. 1. *Ex impulsione divina*: si scilicet post orationem crebram, aliisque pia opera (eo fine, ut DEUS manifestet voluntatem suam) præmissa, bono fine (qualis est DEI gloria major, propria & aliena Salus & perfectio: non autem laboris fuga, spes questûs, honoris aucupatio, respectus humanus &c.) ad hunc Statum impelli se sentiat. 2. *Dispositione naturali*: si videlicet medijs ad hunc Statum necessarijs (qualia sunt, carentia irregularitatis aut Canonici alterius impedimenti, doctrina sufficiens, vita irreprehensibilis, donum continentiæ, & similia) sufficienter instructum se advertat. 3. *Approbatione humana*: eorum maximè, quos DEI loco veneramur (uti sunt Episcopus, Patres Spirituales, Confessarij) quæ tunc saltem non modicè ad vocationem certius cognoscendam conducit, quando ex prioribus duobus indicijs non evidenter certitudo vocationis cognosci-

cognoscitur; cum enim, teste S. Gregorio, sæpe mens sibi de seipsa mentiatur, & fingat se de bono opere amare, quod non amat; & de mundi gloriâ non amare, quod amat; meritò ad mendacium hoc evitandum, aliena requiruntur consilia, illudque Salomonis hoc in negotio præ oculis habetur: Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.

III. Alterum est, *ut eadem Vocatio legitimè suscipiatur*: ad quod tria necessaria sunt. 1. *Ut cum debita celeritate arripiatur*, ad imitationem Apostolorum, qui à Christo vocati, statim relictis omnibus secuti sunt illum. 2. *Cum debita intentione*: nec scilicet fini bono & supernaturali, profanus atque terrestris, velut principalis adjungatur; sic enim & alter finis bonus vitaretur, cum bonum non nisi ex integrâ causâ, malum autem ex quolibet defectu oriatur. 3. *Cum amplissima grati animi affectione*: prout ipsius beneficii magnitudo requirit. Certè in Sacerdotibus vel maximè locum habere credendum est, verissimum illud S. Bernardi effectum: Nihil ita displicet DEO, præsertim in Filiis gratiarum, quàm ingratitude.

IV. Tertium est, *ut Scopus & perfectio vocationi præfixa sufficienter intelligatur*: quæ in eo consistit, ut munera omnia ad Sacerdotalem Statum pertinentia (qualia sunt, officij divini recitatio, Sacrificij oblatio, & si curam animarum habet, etiam prædicatio, ac Sacramentorum administratio) cum magna alacritate, diligentia, & constantiâ obeat, ita ut de eo dici queat, quod Pater æternus de similibus Operariis S. Catharinæ Sen. dixit: Verè tales appellari possent alter Jesus Crucifixus Unigenitus meus, ex eo, quòd assumpserit in

officiū ejus. Ipse venit velut Mediator, ut miseriam auferret, & ita pacificaret hominem, & mihi reconciliaret, rolando multa patienter; ita faciunt isti cum desiderio cruciato Sancto suo, qui Mediatores efficiuntur cum orationibus humilibus, cum verbis exhortationis, & suam vitam sanctam proponunt omnibus in exemplum. Relucent in eis lapides pretiosi virtutum cum verā patientiā supportando defectus aliorum. Isti sunt hami, eum quibus capiunt animas. Aliās verò eidem de similibus Pastoribus dicebat: Isti erant veri Hortulani, qui sollicitè cum sancto Zelo ac timore DEI spinas peccatorum evellebant, plantando virtutum odoriferas in Ecclesia plantas: unde Subditi vivebant virtuosè cum sancto timore, quotidie crescentes velut odoriferi flores in corpore mystico S. Matris Ecclesiæ.

V. Quartum est, ut dignè æstimetur talis vocatio, inde enim non levis haurietur stimulus ad eandem sollicitè implendam. Porro hæc æstimatio concipi potest ex triplici capite. 1. Ex dignitate hujus Status, quæ tanta est, ut Vasquez non sine fundamento ex ipsius S. Thomæ doctrinā petito doceat, constitui posse virtutis habitum ab observantia communi distinctum, circa cultum Sacerdotum, quòd in eis specialis ratio dignitatis alterius generis, quàm civilis. 2. Ex potestate: quod enim datum non est Angelis (inquit S. Augustinus) concessum est Hominibus. Sacerdos enim hoc ineffabile conficit mysterium, & Angeli conficienti quasi Famuli assistunt. Super hoc tam insigni privilegio stupet cælum, terra miratur, veretur homo, horret infernus, contremiscit Diabolus, & veneratur quàm plurimum Angelica celsitudo. Sed & de altera potestate, scilicet absolvendi à peccatis loquens S. Chrysostomus ait:

ait: Quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnium rerum
caelestium potestatem illis à DEO esse concessam? quo-
runcunque enim, ait, peccata retinueritis, retentalunt:
quamam obsecro potestas hâc unâ major esse queat?
3. Ex *privilegiis* huic Statui concessis: qualia sunt im-
munitas à vectigalibus, à censu, à Tutela, susceptione
militum, à tribunali Laicorum, & ut à nullo, nisi Su-
periore, sine pœna excommunicationis, graviter quoad
corpus lædi possint, id quod clarè Fabianus Papa indi-
cavit dicens: Sacerdotes, quos Dominus suos esse vo-
luit, non sunt leviter tractandi, nec lacerandi, vel te-
merè accusandi, quoniam eorum causas sibi Dominus
reservare voluit, & suo judicio vindicare. Unde &
ipse Dominus, teste Anacleto Pontifice, sacri sui corporis
tractatores à vilibus ac reprobis, ac non idoneis Perso-
nis infamari noluit, nec calumniari permisit, sed ipse
proprio flagello Sacerdotes è templo ejecit.

VI. Quintum est, *ut eadem vocatio dignè im-
pleatur*: juxta Apostoli monitum: Obsecro vos ego
vinculus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ
voati estis. Ad hoc autem præstandum duo requirun-
tur, nempe ut qualitates, & instrumenta ad functiones
suas ritè obeundas necessaria studiosè conquirat: & ut
pericula, vocationis impletionem impediencia, fortiter
ac generosè removeat.

VII. Primum ergo horum caput quod attinet, tria
præcipuè instrumenta necessaria sunt Sacerdoti. 1. *Ma-
gna*, id est, sufficiens *scientia*: ita in primis DEUS indicavit,
dum jam olim in Rationali judicii doctrinam & verita-
tem poni jussit, ut essent in pectore Aaron: cæcos Sa-
cerdotes à ministerio repelli jussit: præceptum æter-
num Leviticæ generationi posuit, ut habeant scientiam
discer-

discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum, doceantque Filios Israël omnia legitima eius: & tandem Sacerdotibus ignorantibus per Oseam dici iussit: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Eandem scientiam etiam non obscure requisiverunt Apostoli & SS. Patres. S. Petrus enim Ecclesiæ Rectoribus scribens, parati, inquit, esse debetis rationem reddere omnipotenti vos ad satisfactionem, de ea fide, quæ in vobis est. S. Paulus Timotheo scribens, attende, inquit, lectioni, exhortationi, & doctrinæ. S. Chrysostomus boni Sacerdotis, inquit, conversatio sine verbo, tenet quidem Sanctos in sanctitate per suum exemplum, adducere autem ignorantem ad scientiam non potest. S. Isidorus ait, elaborandum esse Sacerdotibus, ut ignorantiam à se quasi pestem abjiciant. S. Leo: si in Laicis vix tolerabilis videtur ignorantia, quanto magis in his, qui præsent, nec excusatione digna est, nec veni. Denique ejusdem necessitatem, ipsa experientia, & damna ex illius defectu exorta, satis ostendunt. Nam ipsâ Scripturâ teste, propterea captivus ductus est Populus, quia non habuit scientiam. Et iterum; Spectatores ejus cæci omnes, nescierunt universi, canes muti non valentes latrare, ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam; ideo omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam à summo usque ad novissimum. Merito ergo S. Augustinus Fratres suos alloquens ait: Eja ergo Fratres mei, qui Pastores rationabilium ovium nuncupamini, festinate rapere non sophismata paganorum, non carmina Poëtarum, non argutias Philosophorum, de quibus tam Auditores, quam Doctores reddituri aliquando sunt rationem; sed sua-

suavem illam Sapienciam Sapienciarum, seu Theologiam; hæc est enim Scientia Scientiarum, Angelorum ferculum, Archangelorum voluptas, Apostolorum gloria, Patriarcharum fiducia, Prophetarum spes, Martyrum corona, robur Virginum, Religiosorum refectio, Episcoporum vocatio, Sacerdotum cellarium, Infantium exordium, Viduarum Alphabetum, Conjugatorum pulchritudo, Mortuorum resurrectio, æterna denique Viventium protectio.

VIII. Secundum instrumentum Sacerdotis est *major Prudentia*: hinc Christus Apostolis dixit: Estote prudentes sicut serpentes. Et iterum: Quis putas est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Et meritò, cum enim Prudentia sit moderatrix & auriga virtutum, ornatricque affectuum, & morum doctrix, nunquam sine ea officium suum ritè atque securè peragere poterit Sacerdos. Hinc rectè S. Chrysostomus, non solùm, ait, mundum putumque Sacerdotem esse oportet, ut qui tali Ministerio dignus habitus sit, sed etiam prudentem, & longoriterum variarum usu experienciæque donatum, ut non minorem rerum sæcularium, quàm Mundani ipsi in Mundo commorantes, cognitionem habeant.

IX. Tertium instrumentum est *maxima Sanctitas*, in puritate animi, & virtutum possessione ac exercitio consistens: nam Sacerdotibus dixit DEUS: Sancti estote, quia ego sanctus sum. Et iterum: Sancti erunt DEO suo Sacerdotes, & non polluent nomè ejus: incensum enim Domini, & panes DEI sui offerunt, & ideo sancti erunt. Hinc Moyse præcepit: Applicabis Aaron & Filios ejus ad fores tabernaculi testimonij, & lotos aquâ indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi.

Super

Super quæ verba S. Ambrosius discurrens ait: Si tot in figuris opus erat, quid non fiet in veritate? dilce Sacerdos, quid sit vestimenta tua ablui: dilce, quid sit corpus mundum in administratione Sacramentorum afferre. Si populus sine ablutione vestimentorum suorum, prohibebatur accedere ad hostiam suam, tulle lotus mente pariter & corpore, audes pro aliis supplicare, & ministrare? Meritò ergo S. Bernardus exclamans, væ, ait, iis, qui ambulantes in carne, DEO placere non possunt, & placare præsumunt.

X. Porro inter virtutes præ reliquis exiguntur a Sacerdote. 1. *Devotio*: hæc enim, teste Belsæo, omne illius decus, fulgur, ornamentum, majestas, & anima Sacerdotij, & potissimum illius trophæum ac triumphus est. Certè Ezechiel inter abominaciones, quas DEUS ei ostendit, non immeritò etiam illam commemorat, quòd viderit Senes & canis conspersos, tergum altari obvertere, & ad templi januam respicere. 2. *Castitas*: nam incorruptio facit proximum DEO, Salomone teste; hinc Christus Discipulis dixit: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et S. Paulus Timotheum adhortans: Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, & caritate, in fide, in castitate. S. quoque Augustinus: Omnibus castitas pernecessaria est, sed maximè Ministris Ecclesiæ altaris, quorum vita aliorum debet esse eruditio. Et meritò; si enim de Ethnicis sacrificulis cecinit Tibullus:

Vos quoque abesse procul jubeo, discedite ab
aris,

Quæis dedit hesternâ gaudia nocte Venus.
Casta placent Superis.

Sia

Si in veteri lege Sacerdotes pro Populo hostiam offerentes, debebant ab Uxoribus separari, purificari, & nec vinum, nec siceram, aut aliud quid ad voluptates carnales excitans bibere audebant: Si S. Paulus sæcularibus suavitatis, ut abstineant ab invicem ad tempus, ut facilius vacent orationi: Si herbam, cui Agnus castus nomen est, quis tangens pudicus efficitur: Si aves illæ, quæ circa Orientem versantes aromatibus, cinnanomo, & caryophyllis pascuntur, corruptionem nesciunt; quanto magis Sacerdos Sacrificium infinities perfectum offerens, & ad orationem pro Populo offerendam ex vocationis suæ instituto obligatus, totiesque Agnum castissimum, arborumque vitæ sumens, ab omni luxuriâ abstinere debet. Hinc, teste S. Ambrosio, rectè Sacerdotes apibus comparantur; quia sicut apes, castitatem corporis præferunt, cibum vitæ cælestis exhibent, aculeum legis exercent, puri ad satisfactionem, suaves ad refectionem, severi ad ultionem. 3. *Zelus animarum*: ita ut pro tessera sibi familiari habeat illud Regis Sodomorum dictum: Da mihi animas, cætera tolle tibi. Ut velut bonus Pastor animam suam ponat pro ovibus suis, diceretque jure possit cum S. Davide: Zelus domûs tuæ comedit me. Eum in finem certò sibi persuadeat, quod S. Chrysostomus non sine fundamento pronuntiavit, nimirum hoc nostræ salutis argumentum esse, & occasionem, si non solùm pro nobis ipsis solliciti, sed & proximo utiles fuerimus, ipsum ad viam veritatis manu ducentes. 4. *Manfuetudo*: servum quippe Domini, juxta S. Pauli monitum, non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Id quod præcipuè erga Peccatores observandû dixit; Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,

delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerantes invicem, alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi; qui Apostolis suis dixit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Hinc DEUS in veteri Testamento, & Ecclesia etiam in novo, oleum in consecratione Sacerdotis adhiberi præcipit. Semper itaque Sacerdos sententiam S. Bernardi ob oculos habeat: Discite, qui judicatis terram, esse debere vos Matres, non verò Dominos Subditorum vestrorum; ita vos gerite, ut amemini, non verò timeamini, si verò severitate interdum opus est, paterna sit, non tyrannica: Patres vos gerite in reprehendendo, Matres in defendendo, mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera, producite ubera, pectora lacte pinguescant, non typho turgescant. Cur tam graviter opprimitis, quorum sollicitudo & cura vobis incumbit? Caveant ergo Sacerdotes, ne ob neglectam hanc virtutem audiant quondam à DEO: Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia, & dispersæ sunt oves meæ, Sequantur potius consilium Roboamo à Senioribus datum: Si hodie obedieris Populo huic, & servi eris, & petitione eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus. 5. Est *Modestia & gravitas*: quæ in tribus potissimum elucere debet, nempe in *vestitu*, ita ut, quemadmodum S. Hieronymus monet, vestis nec satis munda, nec sordida, aut ulla diversitate notabilis sit, ne digito monstretur, & hoc vitio vertatur. In *verbis*: nam licet interdum honesta joci & suavia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent regulam: quomodo enim probare poterimus, quod in Scripturæ corpore neutiquam reperire est? inquit rectè S. Ambrosius.

brofius. Imò S. Bernardus dicere aufus est: Nugæ inter ſæculares nugæ ſunt: in ore Sacerdotis blaſphemix: Conſecraſti os tuum DEO: talibus jam aperire illicitum: adſuefacere ſacrilegium. In moribus: ita ut illud S. Auguſtini ſemper non tantùm ob oculos habeat, ſed reipsâ impleat: In omnibus moribus veſtris nihil ſit, quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtrâ deceat ſanctitatem. 6. *Liberalitas*: tum erga *Peregrinos*, juxta Iſaiæ monitum: Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagòsque induc in domum. Id quod Sacerdotibus præcipuè convenit, teſte Gratiano, ne ſit de numero eorum, quibus in iudicio dicetur: Hoſpes fui, & non ſuſcepisti me. Tum erga *Pauperes*: juxta monitum Nannetenſis Concilij dicentis: Inſtruendi ſunt Presbyteri, paritèrque admonendi, quatenus noverint decimas & oblationes, quas à Fidelibus recipiunt, pauperum, & peregrinorum eſſe ſtipendia, atque ideo eadem non ut propria uſurpanda, ſed velut fidei commiſſa. Aurum quippe, ut rectè dixit S. Ambroſius, Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut erogat, & ſubveniat in neceſſitatibus. Hinc S. Bernardus ait: Quidquid Sacerdos præter neceſſarium victum, & veſtitem ſimplicem de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt. Væ ergo, exclamat alibi, væ tibi Clerice, mors in olla, mors in tuis deliciis eſt: ideo præſertim, quia, quæ comedis, peccata ſunt populi. 7. Tandem eſt *Taciturnitas*, & ſecreti præcipuè cuſtodia; Sacerdotes quippe DEI, hominùmque ſunt Secretarij, unde ſibi ab his contingere putent, quod Alexander Ephaſtioni fecit, dum arcanum quodpiam illi committens, ſimul ori annulum, quo ſecreti admoneret, impreſſit.

pressit. Hic certè vel maximè locum habet illud Moyses pronunciatum: Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. Hinc & mustela, quæ per aurem concipere, & ore parere dicitur, inter immunda animalia reputatur. Quare semper illud Paulinus Sacerdos usurpet: Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui.

XI. Alterum caput ad dignam vocationis executionem pertinens est *periculorum fuga*: quorum quidem tria sunt præcipua, nempe 1. *Divitia*: Sacerdotes quippe tales DEI Adjutores, teste S. Bernardo esse oportet, qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, & crimina corrigant: famæ provideant, non invideant alienæ: qui nõ de dote Viduæ, & patrimonio Crucifixi, se vel suos ditare festinent, gratis acciperunt: qui redeant fatigati quidem, sed non suffocinati curiosis & pretiosis. Et meritò, quia, ut S. Hieronymus optimè dixit, quicumque DEUM possidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus: nihil extra Dominum habere potest: at si quid aliud habet præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Si enim aurum, argentum, possessiones, variam supellestem habuerit, cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur. Hinc, ut idem alibi dixit, ignominia Sacerdotis est, propriis studere divitiis. Ut qui potius cum Apostolis dicere debent: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Et iterum: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Itaque tres præcipuè occasiones devitet Sacerdos: in quibus lepram avaritiæ cum Giezi contrahere potest, nempe ab importuna exactione solarij (ne, dum nimis emungitur, sanguinè eliciat, & ovium suarum à se animos avertat.)

munerum acceptione (ut dicere olim cum solatio illud Samuelis possit : Loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus, si de manu cujusquam munus accepi, utrum bovem cujusquam tulerim aut asinum) ab Eleemosynarum distributione aut Testamentorum executione : uti prudenter monuit S. Basilius, dicens: Prætextu sublevandæ pauperum inopiæ provideto, ne fias studio inexplebili congerendæ pecuniæ obnoxius, adeò, ut si quis afferat pecunias in usum inopum erogandas, ipse item certò cognoveris, aliquos fulciendæ vitæ præsidio destitutos atque indigos, is, in cujus ære sunt pecuniæ, fac, consilio tuo tecum eat, ut adferat egenis Fratribus erogaturus : neque contingat, ut, cum dissipandas ipse acceperis, earum affectu conscientiæ nitor, situm ducat avaritiæ, & inquinetur. Certè S. Philippus Nerus suos sapienter admonuit, ut, si velent fructum copiosum facere in aliis, à marsupiis aliorum abstinere. 2. Alterum, quod fugere studiosè debet, est *vinum* intemperanter haustum : vinum quippe & mulieres apostatate faciunt Sapientes, teste Ecclesiastico ; hinc olim in vereri lege, quando intrare debeant in templū testimonij, à vino, &, quod inebriare potest, abstinere debebant. Et meritò, cum nihil æquè & auctoritatem minuat, & mentem ad functiones Sacerdotales ineptam efficiat, quàm vinolentia ; summâque confusio & ignominia fit, JESUM Christum pauperem, Crucifixum, & esurientem fartis prædicare corporibus, & jejuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre. 3. Tertium, quod præ aliis fugiendum est, *mulierum* familiaritas censeatur : nam, ut sapienter S. Hieronymus dixit, prima tentamenta Clericorum sunt feminarum frequentes accessus : ille

sexus reprehensibiles exhibet Clericos : quid tibi ve-
 ra cum feminis, qui ad altare cum Domino fabularis
 te in publico cuncti, te in agro rustici, aratores ac vini-
 tores quotidie lacerabunt, si contra depositum fidei,
 cum feminis habitare contendis. Mihi crede, non
 potest toto corde cum Domino habitare, qui femi-
 narum accessibus copulatur. Hinc P. Ludovicus de
 Ponte meritò sequentia documenta suggerit ad hoc pe-
 riculum declinandum. 1. *Ne habitet in eadem domo*
cum feminis, nisi quas antiqui Concilij Nicæni Cano-
 nes permittunt, quales sunt Mater, Amita, Soror &c.
 Quâ de re egregiè S. Hieronymus, memento, inquit,
 quòd una femina de Paradiso expulerit eum, quem
 DEUS in ipso collocaverat : quare meritò timere
 potes, ne tibi sit occasio discedendi ex Paradiso Re-
 ligionis, & ipsius Ecclesiæ, ac proinde gloriæ Paradisi
 amittendi. 2. *Ne visitet feminas suspectas, aut ab eis*
visitari se sine causa gravi permittat: ita idem Sanctus
 iterum suavitè dicens: Hospitiolum tuum aut ratò, aut
 nunquam mulierum pedes terant, quia non potest toto
 corde cum DEO habitare, qui feminarum accessibus
 copulatur. Feminam, quam bene videris Conve-
 santem, mente dilige, non corporali frequentia. 3.
Ut nunquam solus, absque gravissima necessitate, cum
sola maneat: nam Sacerdos solus, teste D. Thoma, est
 dæmonium solitarium: eò quòd non habens Custo-
 dem Angelum visibilem, qui ipsum coërceat, & retrahat
 ab his, quæ appetit, sibi ipsi est Dæmon. Nam
 Dæmon videns solum cum sola statim occurrit tanquam
 tertius ad illos sollicitandos, ac denique illos prostermit.
 4. *Ne tangat, aut tangi se permittat ab ullâ feminâ, nisi*
in casu ingentis necessitatis: exemplo S. Ursini Abba-
 tis

tis in agone jam constituti, & tamen mulieri aurem ad nares, ut deprehenderet, num adhuc spiraret, applicanti dicentis: Recede à me mulier, adhuc igniculus vivit: paleam tolle. Nimirum sicut non potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant: aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus, sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam. 5. *Ut etiam munera & literas ab illis missas non temerè facileque admittat:* nam crebra munuscula, ait Sanctus Hieronymus, & dulces literas, & sudariola, & prægustatos cibos Sanctus amor non habet: hæc enim omnia carnem sapiunt, & procul sunt ab amore casto. Quæ omnia ut tantò facilius præstet, amorem DEI animo suo firmiter inserrare studeat, cum enim, teste Sancto Hieronymo, valde difficile sit, animam non amare rem aliquam, amore Spiritûs, carnis amor vincendus est, & unius desiderium, alterius desiderio mortificandum, ut, quantum ex altero minuitur, tantum alterum crescat.

§. IV.

De Consilio.

I. Est inquisitio eorum, quæ sunt ad finem, operabilium à nobis, non minimorum, nec determinatorum, uti S. Thomas 2. 2. q. 12. a. 3. de quo Sequentia Ascetæ præcipuè scienda sunt.

II. Primum est, ut certò sibi persuadeat, unum ex præcipuis medijs ad perfectionem conducentibus esse, ut frequenter à Viris & Patribus spiritualibus Consilium petatur, id quod S. Climacus sequentibus verbis sat clare ostendit: *Quicumque revera voluntatem*

tem Christi addiscere vult, suam prius voluntatem studio mortificare debet: deinde verò fide atque innocua simplicitate orantes Patrum sive Fratrum animas summa cordis humilitate, ac sine cordis hæsitacione interrogantes, quæ illi consulunt, tanquam ex DEI ore suscipiunt, et si contraria intentioni suæ sint, quæ ab illis fuerint dicta: etiam si hi, qui interrogantur, non valde spirituales fuerint. Neque enim est impudens DEUS, ut animas decipiat, quæ semper fidem & innocentiam proximi consilio atque iudicio humiliter submiserint. Hadrianus Lyræus alia tria commoda refert, quæ ex frequenti petitione consiliorum reportantur, videlicet 1. Quòd is, qui petit consilium, aliud idem sentiat, quod ipse, securior sit, quòd non decipiatur. 2. Quòd, si evenerit aliquid contrarium, minus ei imputari possit, quàm si ex suo sensu id egisset. 3. Quòd sæpe in meritum talis humilitatis DEUS daturus sit illi per se, vel per alium agnoscere, quod antè non intellexit. Sed & ipse Seneca ejusmodi plures utilitates enarravit, dicens: Proderit Sapiens quando Sapienti, suadebit enim, impetum dabit illi, occasiones actionum honestarum demonstrabit. Præter hæc aliquas suas cogitationes exprimet; docebit, quæ invenerit, & quòd animus ejus excurrat. Præterea quarundam illi notitiam tradet; non enim omnia Sapiens scit: etiam si sciret, breviores vias rerum aliquis excogitare possit, & has indicare, per quas facilius totum opus circumfertur: atque ita incipiet alter sapere securior, & extra metum positus fertur: plus enim homines in alieno negotio vident, quàm in suo.

III. Alterum est, ut sciat, quid potissimum observandum sit in consilio dando, videlicet illa tria, quæ Gregorius Theologus sequentibus versibus indicavit :

Nam trina cùm sint, ut vetus sensit cohors,

Pollere debet optimus Monitor quibus,

Rerum usus, ingens caritas, os liberum,

In me requires prorsus ex tribus nihil.

Alij non malè conditiones boni Consilij in viginti quatuor Senioribus à S. Joanne olim conspectis adumbratas putant. Nam 1. erant *Senes* propter experientiam & usum rerum commendabiles ; quod vel maximè requiri ad Consilium jam olim Plutarchus significavit, dum dixit : Maximè salvam esse civitatem, ubi consilia Senum, & Juvenum arma obtinent. 2. *Vestiti albis vestibus erant* : id est, ab omni cupiditate & metu liberi. 3. *Coronas in capite gerebant* : quibus *libertas* in consilio dando indicatur, de qua rectè S. Ambrosius Theodosio Imperatori scripsit : Clementiæ tuæ displicere debet Sacerdotis silentium, libertas placere : nam silentij mei periculo involveris, libertatis bono juvaris. 4. *Cum libro signato in manibus* : quo secreti tenacitas & fides indicatur ; hinc jam olim Valerius Maximus dicere solitus erat, Taciturnitatem optimum atque tutissimum rerum administrandarum vinculum esse. 5. *Procidebant, & coronas suas ad pedes DEI mittebant* : ut indicetur, omnia consilia ad gloriam DEI primariò referenda ; alioqui enim nullam vim & efficaciam habebunt, cùm non sit Sapiencia, nec prudentia, nec consilium contra Dominum, Salomone teste.

IV. Tertium est, ut sciat, quas doctrinas & regulas in ipsa consultatione observare debeat, nempe
 1. Ut ante omnia curetur, ut finis semper integer & illæsus servetur. 2. Ut in electione mediolorum ad ea media maximè respiciatur, quæ ad finem appositissimè ducunt; item ad ea, quæ practicè magis parabilia sunt, relictis incertis, licet ex se forent meliora. 3. Ut, cum consultatio tantò melior sit, quò firmioribus ex fundamentis procedit, in ea rationes æternæ magis, quàm temporales curentur. 4. Ut res, de qua consultatur, non obiter perspiciatur, sed bene quoad omnia penetretur, atque adeò diligenter perpendatur, quid ex re tali suscepta vel neglecta non tantùm proximè, sed etiam per aliquot sequelas sequi possit. 5. Ut etiam circumstantiæ temporis, locorum, & Personarum bene examinentur; ex his enim plerumque ultimum iudicium, consiliùmque formandum est. 6. Ut pariter etiam attendatur, in quid affectus magis propendeat; huic enim ut plurimum contra nitendum, aut certè minus fidendum est, eò quòd plurimum impediatur sinceritatem iudicij.

V. Quartum est, ut diligenter attendat, caveatque, ne, si advertat consiliùm à se conceptum, vel ab alijs suggestum, minùs felicem exitum sortiri, pertinaciter nimis eidem adhæreat; etsi enim meritò inter alias virtutes Consiliariorum etiam constantia numeretur, atque adeò meritò reprehendantur à Sallustio ij, qui ex aliena libidine huc illuc fluctuantes agitantur, & alia ac alia consulunt, prout eorum, quibus placere cupiunt, similtas & arrogantia exigere videtur; superbæ tamen stultitiæ perseverantia est, ceste

teste Seneca, dicere : quodcumque semel dixi, fixum, ratumque sit : non enim est turpe cum re mutare consilium ; nec levitas censeri debet, à cognito & damnato errore discedere. Oportet enim, ut Plato sapienter dixit, tanquam in telorum jactu, ad id, quod ceciderit, res suas aptare, quocumque modo ratio id optimum esse duxerit.

§. V.

De Tempore.

I. Est numerus motus secundum prius & posterius, juxta Aristotelem l. 4. phys. de quo sequentia Aristetæ bene notanda sunt.

II. Primum est, ut sciat, quòd nullum tempus æstimandum sit, nisi quòd in bonis operibus consumptum est. Hinc Saul duobus duntaxat annis regnasse dicitur, quia licet multis annis regnaverit, illis tamen solis regnasse dicitur, in quibus innocens & humilis fuisse perhibetur, ut ait S. Gregorius, qui & addit : Illo ergo solùm tempore nos vixisse gaudeamus, quo innocenter & humiliter viximus ; nam illa tempora, quæ in sæculi vanitate, & fluxa carnis vita consumpsimus, quasi perdita minimè memorantur. Unde & Richardus Victorinus, melior est, inquit, senectus morum, quàm annorum : meritorum, quàm temporum. Perfecta est ætas, ubi perfecta virtus est. Nec malè Poëta :

Vive precor, sed vive DEO : nam vivere Mundo
Mortis opus ; una est vivere vita DEO.

III. Alterum est, ut medium nôrit, quo præteritum tempus redimere queat ; id quod præclare S.

X s

Tho-

Thomas ostendit, dicens : Contingit quandoque, quòd aliquis per magnum tempus vitæ vivit in peccato, & hoc est tempus perditum : sed quomodo redimet, cùm homo non sufficiat ad debita persolvenda : respondeo : dicendum est, quòd tantò magis debet vacare operibus bonis, quantò priùs inficit malis. Nam, ut S. Hieronymus ait, subitus calor longam teporem vincit. Hinc cùm quondam S. Gertrudis peteret à DEO & Sponso suo Christo, ut peccatorum suorum, & defectuum non recordaretur amplius, rapta est à Christo in cælum, & cum veste lacinis & centonibus consueta coram Patre cælesti apparuit : ubi, quamprimum Christus pro ea peroravit, & pretium vitæ ac sanguinis obtulit, derepente vestis illa, in qua omnes illius defectus distinctè repræsentabatur, laminâ aureâ, instar chrystalli lucidâ, cooperta fuit.

IV. Tertium est, ut firmiter statuatur reliquum vitæ tempus bene impendere, eumque in finem meminere, vitam nostram, teste S. Gregorio Nazianzeno, quasi mercatum esse, cujus dies, cùm abierit, tempus non erit emendi, quæ velis. Dicit proinde cum S. Chrysologo : Vivamus DEO paululum, quæ sæculo viximus totum : dedimus corpori annum, deimus animæ paucos dies : tempus est, ut aliquando domui tuæ provideas.

V. Quartum est, ut sciat modum legitimum tempus suum dispensandi, quem quidem jam pridem Bias Philosophus docuit, dum dixit, ita metiendum cuique esse tempus, quasi diu & parùm victuri simus.

* *
*

§. VI.

§. VI.

De Conscientia.

I. Est dictamen rationis, quo judicamus hinc & nunc aliquid agendum, vel omittendum esse, vel fuisse; de qua sequentia Ascetæ sunt scienda.

II. Primum est, ut ritè cognoscat indicia Variarum Conscientiarum, maximè verò bonarum & scrupulosarum. Et bonæ quidem conscientia tria præcipua sunt indicia. Agnoscere culpam, ubi non est, uti S. Gregorius dixit. 2. Erubescere ad publicationem sui peccati; nam, ut S. Ambrosius ait, sicut lapis si ad lapidem teratur, ignem excutit, ita etiam bona conscientia pudore succenditur, si renovetur illi suorum recordatio delictorum & in ipsa meditatione exardescit ignis. 3. Non subterfugere lucem; bona enim conscientia, teste Seneca, prodire vult & conspici, turbam advocat. Scrupulosæ verò indicia sunt sequentia, timere in omnibus peccatum; perpetuò hære, quid sit agendum: assiduò & sine justa causa reflectere se super actiones & cogitationes; nolle acquiescere aliorum consilijs: ex levi apparentia mutare consilia.

III. Alterum est, ut sciat utilem praxin seipsum dirigendi juxta ductum suæ conscientia, quam quidem S. Gregorius sequentibus verbis breviter declaravit: In omni, quod dicitur, semper tacitè recurrere debemus ad mentem & interiorem testem ac Judicem requirere; quid enim prodest, si omnes laudent, & conscientia accuset? aut poterit obesse, si omnes derogent, & sola conscientia defendat?

IV.

IV. Tertium est, ut utilem etiam praxin sciat, alienas conscientias dirigendi, ita ut cuique se aptè accommodet, & laxas quidem dextrè cohibeat & restringat; anxias verò & scrupulosas aptis medijs suaviter & prudenter relaxet.

PARS V.

DE DOCTRINIS AD IMPEDIMENTA PERFECTIONIS SPECTANTIBUS.

HÆc Impedimenta sunt duplicis generis; nam aliqua directè obstant, quò minus perfectionem quis, prout optat, assequatur, qualia sunt Amor sui, Tristitia, & similia; alia indirectè impediunt, quatenus ad objecta contraria perfectioni impellunt, qualia sunt Tentatio, Mundus, Mulier, Voluptas, Lingua, & similia. De utrisque quid Ascetæ sit sciendum, breviter hac in parte indicabitur.

CAPUT I.

DE IMPEDIMENTIS DIRECTE IMPEDIENTIBUS A PERFECTIONE.

§. I.

De Amore sui.

I. Est inclinatio voluntatis ad proprium bonum appetendum; unde alio nomine *Amor concupiscentiæ* vocatur; de quo tria Ascetæ specialiter sunt scienda.